HYPPOCRATIS
Epidemialium
OBSERVATIONVM
Pars Prima.

QVATVOR CONTENTA LANGVENTIBVS.

In qua ne dum praxis methodica, cum auxilijs legitur, sed etiam multæ quæstiones, Philosophis, ac Medicis vtilissimæ, proponuntur.

MARII ZVCCARI PHILOSOPHI, ac Medici Neapolitani,

Comitis Palatini, seu Iubilati, Theoricæ Medicinæ, in Florentissimo Gymnasio Neapolitano Professoris Primi.

CVM DVPLICI INDICE, ALTERO CAPITVM, Altero verò rerum memorabilium locupletissimo.


Superiorum permissu, & Priuilegijs.







VENETIIS, Apud Sessas. M DC XXI.



ILLVSTRISSIMO
DOMINO,
D. BERNARDINO
MONTALVO,

Sancti Iuliani Marchioni, Militis Sancti Iacobi, supremi Ordinis, in Regno Neapolitano, Collaterali, Consiliario, ac Regiæ Cameræ summariæ Locumtenenti Prudentissimo.

MARIVS ZVCCARVS
S.



VOD Titum Imperatorem dicere solitum accepimus (Illustrissime Marchio) *se se illa die magnam fecisse iacturam, cum amicum aliquem sibi non comparasset, atque cum in Bononiensi Accademia D. Petrum de Vera Sacri Neapolitani Consilij Præsi-*

dem tui amicum, atque familiarem in studijs confecisses, quaque antiquiori studio amicitiaq; non vulgari, nec celeri, sed vetusta beneuolentia inter vos a me cognita. Eadem die actiones tuas praeclarissimas admiratus, ad altiorem gloriam adipiscendam nouerim, pronunciauerim omnes.

Sed ante me Philippus Secundus *virtutes tuas cum cognouisset, prius a Bononiensi Academia vocatum Regiae Camerae Praesidem acclamauerit, fecerit. Quod autem admiror* (vir Illustrissime) *quoniam à* Philippo Tertio *ad supremum Italiae consilium euectus, vt quasi habito saltu inter fortunam, & naturam superatis, atque euictis illis proprio ingenio, proprijs viribus, tam insigna, ac suprema ornamenta Illustriaque facinora, veluti instantanea, ne dum admirationem in se conuocasse exiguam, immo verò laudes infinitas confirmasse omnes; vix enim Hispanias accersitus ad supremos Italiae Consiliarios sine tarda mora, immo instantanea pro negotio gerendo adeo insigni, ac supremo mox habitu indutus Sancti Iacobi, atque Illustrissimam tuam Familiam varijs decoratam habitibus alcan-*

tara

tara Calatrada Sancti Iacobi, et nouit ac pronuntiauit antiquitas (atque Illustrissime Berardine) Regia Maiestas, *cùm nouisset bona sua huius regni committens animi tui candore, ac bonitate fretus illisque fisus te Regiæ Cameræ Locumtenentem pronuntiauit, fecit, illustrauit; Expectabant te maiora pro tua prudentia, humanitate vitæ, genere incomparabili, quæ omnia intuitus idem* Philippus Tertius *inter Marchiones huius Regni Sancti Iuliani titulo decorauerit. Tibi ergo Illustrissime Marchio, quartum ingenij mei fætulum dicandum proposui; tibi viro per gradus infinitos transacto; tibi viro ab vtroque* Philippo *Regibus vndique decorato, & tandem paucis perstringendo verbis, quod potuisset ætas integra varijs indiuiduis perficere, in te solo tuarum virtutum colligata ornamenta sub paucis horis perfecere singula. Testes sint ante te ætate maiores, virtutum tamen copia longe differentes. Testes sint, qui varia maritima vagantes loca sub vario Cœlo, vel exiguum, vel nullum obtinuerunt gradum. Testes sint, qui sub vario bello oppositis, concurrentibus astris, ætatem fere totam consum-*

pserint, te verò nec temporis angustia, nec stellarum oppositio fatigauit, nec aduersa fortuna extinxit vnquam; immò ad maiora euectus viresque suscipiens eundo, splendidiori virtutum habitu indutus, infinita tua merita perfecere singula; Carus es Regibus, sed quæ Clarißimum te reddunt illis, offitia fides, constantia, magnificentia erga Reges tuos, confirmant omnia. Vale.

INDEX

INDEX CAPITVM,

In hoc Opere contentorum.

In

Indicis Capitum Finis.



INDEX RERVM, AC VERBORVM copiosissimus, QVAE IN HOC OPERE continentur.



Argen-

B

C

Con-

D

E

F

G

H

I

L

M

Eadem

Mor-

N

O

P

Eadem

Q

R

S

Tempora

V

Indicis Finis.

pag.	lin.	Errata	Corrigenda.
13	1	*ſyndionem*	*ſyndromem*
22	10	*erroneo*	*erroneam*
29	10	*Eraclitem,*	*Eraclitum*
33	15	*vanas*	*varias*
36	6	*notam*	*ignotam*
61	13	*contingiſſe*	*contigiſſe*
76	24	*Inunias,*	*Iunias*
190	4	*palpitat in*	*palpitatio*
272	23	*ego*	*ergo.*

Reliqua leuiora prudentiæ, & ſapientiæ Lectoris committimus.

EPIDEMIALIVM OBSERVATIONVM,

SVB QVATTVOR *languentibus ab Hyppocrate obseruatis, in Partem Primam*

PRÆFATIO.



QVARTAM videor aggredi prouintiam omnium altissimam, ac difficillimam, historias interpretari epidemiales, in quibus Hipp. legimus Authorem. Medicinæ præcepta fundantur prima, vera, immediata, ex quibus verissimæ, ac necessariæ colliguntur Conclusiones aphoristicę; Medicinæ partes omnes relucent, videlicet curatiua, significatiua, prognostica, in quibus, & narrantem, & docentem pręceptorem legimus diuinum Senem, cuius inuentionis ordo, ac docendi genus est admirabile, ac diuinum, & singula, in singulis narrata ver-

ba languentibus, arcana sunt aurea, atque diuina; etenim tradidit Arist. in politicis, artes, ac disciplinas naturæ defectus adimplere, aut enim imitando, aut corrigendo, aut superando, quæ ab ea imperfecta, quadam, diminutaque vi, atque non exiguo conatu, non sine paruo labore fuere genita, atque inuenta, absoluendo perficere. Testantur ossium luxationes, & fractiones, testantur lapidum à Vesicis extractiones, testantur in suffusionibus restauratę visiones, qua in re tanquàm à diuino quodam efflatus numine, seu prodigiosa quadam ratione incedens artifex, quasi verò à priuatione ad habitum physicus daretur regressus, admirabilem artem, atque diuinam reddant singula; testantur alexipharmaca medicamenta, vt tametsi proportio partium præcipuè vitalium a venenosa quadam natura, seu deleteria materia fuerit destructa; talis enim, ac tanta esse videtur artis industria, vt ex variis simplicibus super orta quędam tertia entitas, illi non parum opposita, atque inimica vitale viscus roborando, deleteriam substantiam omnem destruat, fugat, extinguat; testantur mutilatę, aut abscissę partes in hominibus sensibus conspicuę, illis obiectę, quas natura quamuis prouidissima, nedum restaurare, immò verò nè resarcire minimam portionem posset, talis tamen, ac tanta esse conspicitur artis in agendo industria, in conficiendo celeritas, in prouidendo consilium,

agen-

agendarum rerum inuentio, differens ratio, agendi via ac modus, vt tanquam egregius pictor deficientibus primis principiis abscissam partem deliniando, ac efformando, de nouo generet omnem: de paradoxis ergo atque admirabilibus artis operibus, cum naturæ operibus altercantibus, longa nimis esset dicendi tractatio, nisi ad primum artis inuentorem, ac naturę oraculum, diuinum inquam Senem Hyppo. sermo dirigeretur omnis: hic ergo pręceptor primus naturæ nihil parcens, sed aduertus illam, quasi propugnacula multa inueniens contemnendo ea, ad quæ natura propiis viribus pertingere nō posset, irridens, nisi solummodo ingeniosa, ac solertissima ars, Cuius principia ab vberrimo fonte hausta, inuenta, excogitata, denique illustrata, & philosophi primi, & antiquitas cōfirmauit omnis. De primis ergo languentibus, de primis visitationibus, de primis auxiliis, denique de primis lapidibus diuinam hanc fabricam medendi construentibus, a diuino Sene tanquam à primo Architetto inuentis, meæ erunt partes, Deo Duce, pertractare, vt propterea qua via quove ingenio affectibus naturæ humanæ contingentibus prodesse poterat, cuncta inueniendo, ac illustrando perfecit.

In prima ergo parte huius operis nostri, ac laboris quarti Epidemialium obseruationum ab Hyppocrate Inuentarum, & si temerarii munus

aliquibus fortaſſe videbitur, rem hanc ſupra vires velle attingere, Deo tamen Duce, ac propriis laboribus fiſus, ſpero prouintiam hanc, & præteritis numeratis laborioſam nimis, cum meum peculiare munus ſit docendi luculentiori, nouoque docendi genere omnia perficere, atque ſicut non exiguo labore, non ſine exiguis controuerſiis bellum gerere cum neotericis ſum auſus, ſperandum erit præſentibus, ac poſteris, labores meos non parum profecturos; impoſſibile ſi quidem erat omnia ab Hyppocr. inueniri, omnia, & ſingula in lucem prodire, ſed ſub varia ætate, ſub variis diebus, ſub nouis obſeruationibus, noua inuenit, ac tulit rerum conditio varia: poterunt ſi quidem legentes, quæ fuere ſcripta á prҫteritis neotericis, vel malè elaborata, vel tardiori ingenio inuenta, vel à multis ſub recta, praueque translata more tranſcribentis indicis ſana mente, rectoquè diſcurſu cautè diſcernere in hoc opere adeo difficili a paucis tacto, fortaſsè á rei pertractandæ difficultate perterriti, ſemper exiſtimantes, & hanc ætatem, & poſteros multum mihi debere, animaduertentes qua negligentia fuerint vſi in hac prouintia, in qua diligentiores, accuratique quam maximè debuiſſent ſeipſos præbere, potius quàm in cæteris: quæ vero in hoc angulo Italiæ, in ſtudio inquam partenopeo, annis elapſis in hac laborioſa, ac ſenili iuuentute mea propoſuerim, explicauerim,

rim, legerim per temporum interualla, opuscula tria de ratione victus, more partenopeo, aduersus Iacobum Bonauenturam Clementis Octaui Medicum, alterum de venenis, tertium de morbis puerorum, noua methodo, ac nouo docendi genere traditum, ea omnia esse typis excussa, ac sensibus obiecta, fugiunt neminem: spero propterea nihil minus displicere opus hoc quartum in epidemias obseruationes, cæteris primis laboribus nihil inferius: subuerebar tamen ego quam maximè, ne labores mei, ac vigiliæ satis prolixæ, essent silentio perpetuo obuoluenda omnia, tum mecęnatum inopia, tum á torpida studiosorum, tum multorum non leui imperitia, aliquorum indecenti ambitione, quæ omnia sub hac ætate pręsenti, sub qua inuidia cum ruditate coniuncta, quantum polleat, experimur omnes. *Aduersus Iacobū Bonauenturā.*

Ad prouintiam ergo præsentem enodandam, atque exornandam, petitiones tum discipulorum impellebant, narratę tamen supra rationes retardabant non parum; tanti tamen apud me valuit rei pertractandæ necessitas cum vtilitate coniuncta, vt vigiliis, ac sudoribus ex parte depositis quod sum pollicitus discipulis (Deo aspice perfecero) eoque magis, cum gloriabundos legamus nonnullos, qui de re hac, quasi ad vmbilicum peruenientes, medii quasi itineris onus substinentes, citra methodum aliquam, non pauca docere videntur imaginaria

dogma-

dogmata: nos vero, qui non parum laboris impendimus, enixè ſtudentes, quibus á rei natura petita ſunt omnia, ſingulas, ac exactas hiſtoriarum omnium, á nemine quem hucuſque legerim, mæthodos tradere non verebimur: & quamuis Montanus inter patauinos profeſſores Mæthodicus pręceptor primus, nonnulla, quę ex hyſtoriis oriri poterant pro curatiua Męthodo tentauerit, nos vero conabimur locupletiori docendi via examinando perficere: multa ſiquidem antiqua, ac barbaro more tradita, immo vero, quæ ea tempeſtate vulgarem videbantur habere medendi viam, remouere, radicitus euellere erimus coacti, mos hodiernus docet, canones ſub ea memoria viguiſſe diuerſos, á præſentibus, vt quaſi nouam medicinam vulgares arbitrentur homines: regulę ſiquidem artis perpetuo tempore vbique locorum ſemper fuere verę, placuit Hyppocr. in prognoſticis modificationes tamen medendi adeo diſtinctionem peperere non exiguam, vt tanquàm recentem, atque inauditam refecerint artem, quapropter iuſta Hyppocr. verba, atque nobis inſtitutum, quattuor examinandi erunt languentes iuſta pollicitam primam rei peragendæ partem, ad quam iam propero enodandam.

Propterea ſatis dixiſſe arbitror, quæ videbuntur neceſſaria circa opus præſens explicandum: nunc vero præbeo me, & cogor parari ad opus nouum

num de morbis complicatis in tres Tomos diuisum, á nemine, quem hucuſque, aut viderim, aut legerim, inuentum; quidquid ego nunc progredior in vaſtiorem me altitudinem; atque in profundiſſimum pelagus inuehi videor, atque ad morbos complicatos componendos onuſti mei laboris per decennium iterum redeo laborandum, cum eſſent intercepti labores pro aliis tractationibus typis excudendis, vt ſunt theoremata medicinæ laborioſa non parum, ſed de morbis complicatis (opus non multum fatigauit,) & iuuentutis meæ portionem non exiguam ademerit; ſpero tamē, Deo duce, propriis laboribus fiſus, prouintiam quintam omnium præclariſſimam à nemine, aut excogitatam, aut inuentam futuris omnibus vtiliſſimam, atque apprimè neceſſariam, ſimpliciter allaturam vtilitatem, ac neceſſitatem.

Sed vt redeat oratio mea vnde diſceſſerat, Rogarunt diſcipuli in hac tertia parte huius anni, abſolutis aphoriſmorum interpretationib. vt aliqua de epidemiis docerem, immo, quæ publicè docueram magna cum hominum frequentia, ac laude publicæ vtilitati eſſent tradenda, efflagitarunt omnes.

Pendet primo loco tractationis altitudo propterea, quòd quidquid Hyppoc. docet tùm in aphoriſmis, tum in prognoſticis, ab his ſunt deſumpta obſeruationibus primis quam doctrinam, ac Veritatem

ritatem primus docuit Galen. fideliſſimus Hyppocr. Interpres,qui libro primo epidem. commentario tertio, text. decimoſeptimo, habet hæc verba (quæ in libris prognoſticorum ſunt planè tradita, eorum hic exempla tantum indicem diſciplinę reiicientes ſummam ad libros, quos conſcripſi, ſpem venio fore mihi ſermonem compendioſum) ex quibus clarè colligitur tractationis excellentiam eſſe magnam, ab epidemiis inchoante medicinæ exordio doctrina inſuper aphoriſtica conſequente, quam Galen. compendiariam appellat, non exigui ergo momenti erant excogitanda, atque iniicienda artis fundamenta, ſeu firma, ac vera, quibus accedit illa prima aphoriſtica Sententia, vitam breui temporis curriculo perſtringi, artis vero medicinę terminos a nemine fuiſſe tactos, ex quibus liceat colligere languentium infinitas obſeruationes perterruiſſe Senem: epidemialium ergo obſeruationum tractatio longe prius præceſſerat, quam omnis alia Hyppocratica lectio.

De difficultate deinde, ac vtilitate agentes, an vtilitas dificultatem, an difficultas vtilitatem ſuperare videatur, poſſet in controuerſiam reuocari.

Legimus ſiquidem Hyppocraticum ſtylum eſſe adeo ieiunum, ſcribendi genus adeo ſimplex ſine curationibus, medendique via carentibus,

vt hyſtoriarum recenſitę narrationes parum confe-rant ad medendi normam, niſi prudentiſſimus, ac doctiſſimus eſſet medicus, qui ex vna nuda, ſimpliciq́ue Hyppocratica relatione, certam, veramq́; medendi regulam colligat, imitetur, addiſcat, idque confirmant morborum varietates ab Hyppocrate numeratas, partium affectarum dignitates, ſympthomatum uis ac infeſtandi modus pugnantes, diuerſique morborum euentus, cauſarum morbificarum conditiones, quantitates, qualitates, propter paſſionem conſequentem mobile morbificum, præſagia certa, vel dubia, ab illis exhauſta, excrementorum diſſimilitudines, naturalia toto genere præter naturam, vires augentia, aut proſternentia, dierum decretoriorum diſparitates, atque in iudicando robur longe differentes, morborum recidiuę, quæ omnia vix Gal. ponderat, atque pauciſſimi ſcriptores examinant: non poſſum non multum redarguere Hieronymum Mercurialem, virum ſanè variarum lectionum doctiſſimum, in rebus epidemialibus interpretandis multiloquum, in rebus tamen inutilibus legimus hominem, Montanum vix aliqua traditione ſcripta a diſcipulis fuiſſe typis excuſſa, Valleſium more Galeni vtentem legimus, quaſi illum imitatum breuitati ſtudentem, diminutum legimus, Germanum ergo, ac fideliſſimum interprętabimur Galenum, cuius commentaria referta doctrinis ac vbertate ad-

mirabili docendi genere leguntur omnia, liceat tamen mihi Hyppocratem, per Hyppocratis verba interpretari, rogantibus discipulis, atque a publico, quo detineor profitendi onere, vigesimo octauo, ætatis vero meæ anno quinquagesimo secundo, Verum quia in omnibus operibus meis semper sum professus methodo omnia docere, propterea rem Deo Auspice, atque annuentibus discipulis, aggredior.



HYPPOCRATIS EPIDEMIALIVM Obseruationum, PARS PRIMA.

IN QVATTVOR CONTENTA languentibus.

Inscriptio Libri proponitur. Cap. I.



Mos antiquus scribentium est, aut insectantium dogmata Aristotelis, aut Galeni, a titulo libri eiusq; inscriptione exordiri. Nos autem breuiter iusta rei pertractandæ ordinem, á titulo inscriptionis exordientes, dicimus cum Galeno, primo, dè acutis, com. 9. per epidemium morbum nos debere intelligere eos affectus, qui sub aliquo anni tempore vigeant, atque abundent, ad differentiam endemii morbi, quem in regione aliqua, quasi patrium, appellabimus: nam dantur aliqui, qui appellantur Sporades, quasi sparsim, & priuatim comprahendant varios languentes.

Dices, datur ne differentia aliqua inter epidemios morbos, & pestem? Respondetur, pestem appellari à Gal. epidemiam pernitiosam; pernities ergo, & prauitas est differentia contrahens, distinguens, atque constituens: possunt ergo epidemii morbi vagari sine pernitie; & tunc epidemii simpliciter appellabuntur; quibus si accedat pernities pestis, & pestilentes appellabuntur.

Vtrum libri Hyppocratis epidemiorum sint narratorij, an doctrinales.

Cap. II.

CIrca præsens problema fusius infra disputabitur, quando de methodo hyppocratica epidemiorum peculiare imponetur Caput; prout tamen instituti ordo exposcit, dicimus, Hyppocr. narrando docere, atque docendo narrare medicinæ conclusiones primas, quæ ad vsum artis non parum conferre viderentur, ex narratis eliciens; quis enim poterit negare vigente febre, atque acuto calore extraneo, ac diminuto natiuo, sudores si appareant frigidi, eos dicimus esse prauos scientes decretoria, non decernentia, aut mortem præsagire, aut affectum cronicum, sicut stillicidia meri, adustissimi sanguinis in febribus lypiciis, quarta die apparentia, obitum, illumque ci-

tissimum pronosticari; desero syndionem sympthomatum, videlicet perpetuas vrinarum cruditates, extremorum refrigerationes, respirationes vitiatas, mutitates, vim, atque morborum prauitates, vrinarum nigrities cum sudamine opaco, excretiones in primis diebus irritatas, post deliria, atque confirmatas phrenitides, hæc & alia proponit in hystoriis narrandis Hyppoc. in quibus magis docentem, quam narrantem legimus præceptorem primum; immò sunt adeo certa, ac firma medicinæ bases, ac fundamenta, vt medicum quàmuis dubium errare non permittant, cum sint perpetuo tempore vera: in quibus porrò quis poterit negare, medicinæ partes non relucere omnes? prauitas primo loco, & morbi natura ex quolibet symptomate narrato consurgit. Rursus, morborum causas conseruantes, eorum completam cognitionem assequimur: ex quibus omnibus, & euentus, eorumque tempora, modosque firma quadam ratione licet colligere; certas, ac stabilitas morborum ætates intuemur, quæve, aut latent, aut patent contemplamur, natiuique caloris vitia, quæ possunt vitalem, aut naturalem, aut animalem prosternere facultatem, ex quibus porrò non narrantem, sed docentem, ac diuinum præceptorem Hyppoc. ostendunt omnia: ex quibus omnibus accedit ratio magis demonstratiua, nam tanquam agit narrando, & pro ęgrotis proposuisse remedia, id quod porro debuisset

presta-

preſtare, & narrare hiſtorias, & auxilia pro languentibus exhibita recenſere, quod non fecit, niſi ſemel. L: in anaxione ſecando venam die octaua. L. cliſteribus memoratus ergo L. mancus eſt cenſendus Hyppocrates, aut verus ſcientificus, qui narrando docuit; ſed ſunt loca Galeni euidentiſſima; ex quibus colligitur, Galenum propoſuiſſe hiſtorias ſine remediis, quaſi narrando ſolum doceret.

Prima hiſtoria, eſt Lariſſæ Calui, tertio epidem. 3. tex. 76.

Galenus in com. habet hæc verba: Ego verò, an in Caluo hoc ſit ſanguis detractus necne, non habeo coniicere; nam quatenus Hyppocr. habet, nihil remediis eſt profectum, poſſet aliquis dicere, in remediis Hyppocratem ſanguinis miſſionem appellaſſe. Alius dicat non eſſe de adhibitis aliis auxiliis; verum quia mente excedit, tribuſque diebus obiit, fuiſſe derelicta auxilia, hæc habet Galenus in commentario, ex quibus verbis multa colligo ex Gal.

Primo dicit, comment. non habere de miſſione ſanguinis.

Secundo dicit, nihil fuiſſe remediis profectum.

Tertio dicit Hyppocratem fuiſſe oblitum, cum mente exciderit. Ex quibus colligitur, Hyppocraté non fuiſſe empiricum, quoniam auxiliorum meminiſſet, ſed narrando docuit, vt non poſſint non mirari, Galenum propoſuiſſe calumniam præcepto-

ceptori primo. Rursus locus est clarior in casu Critonis primo lib. epid. comm. 3: contemplatur Galenus in commen. causar. repentinæ mortis dicit, profluuium fuisse succorum a partibus ignobilibus ad nobiles, cum statim delirasset: Sed in calce comment. quęrit Galenus, quare venam non secuerit? Respondet Galenus, Hyppocratem morbo id progresso fuisse accersitum, sicuti apud plurimos. Ex quibus colligitur intentionem fuisse Hyppocratis narrando docere, neque vti auxiliis quamuis in hac historia excusare videatur Galenus præceptorem Hyppocratem.

Sed hic occurrit maxima differendi difficultas.

Utrum hystoriæ narratæ ab Hyppocrate scientificum supponant habitum.

Cap. III.

Caput hoc difficultatem cum nouitate docendi supponit non parum, propterea quòd problema hoc a nemine, quem hucusque legerim, proponitur, in quo sanè problemate nouo, & quæsito disputando, proponam sententiam meam, a nemine, aut propositam, aut patefactam, cum in rebus, quantumuis arduis, noua proponere dogmata nunquàm sum veritus: propterea

Substinemus narrationem hyppocraticam fuisse

ſe doctrinalem, non autem empiricam; neque poſſum clariori docendi genere patefacere quæ intendo, rem ſcilicet a nemine excogitatam vſque ad hoc tempus, niſi hominem diuinum narrando omnia docuiſſe: quę doctrina paradoxa videbitur multis, qui in lectionibus Hyppocr. parum, aut nihil ſunt verſati; doctioribus tamen hæc omnia clarius patebunt; etenim quotquot aphoriſticas proponit ſententias epidemialium obſeruationum, cenſendę ſunt concluſiones, vt paulò prius innuiſſe videor, vt infra fuſius explicabo; omnia ſiquidem traxerunt originem ab his ſcientificis obſeruationibus; etenim, quæ obſeruauit Hyppoc. cum eſſent primæ obſeruationes, niſi fuiſſent innixæ habitui ſcientifico, illa obſeruationes tanquàm dubias propoſuiſſet; verum videmus omnes eſſe perpetuę veritatis, vt patet ex dictis, & ex dicendis, & tanquam propoſitiones, ac theoremata artis narrando docuit, ſed magis docuit, quam narrauit; etenim ſcopus eius fuit magis docere, quam narrare; narratio ſiquidem, & recenſere hiſtorias, fuit opus conſequens ſcientificum habitum: & doctrinam hanc ſubſtineo contra omnes ſcriptores vſque ad hoc tempus; quæ doctrina quamuis paradoxa multis videatur, qui in contrarium Ariſtotelem tanquam ducem conuocant; qui in analiticis ſubſtinet primò præcedere ſenſum; ſecundo ex ſenſibus pendere memorandi actiones; tertio fieri memorias repetitas;

quarto

quartò pendere experimentum ex illis, & tandem quiescentibus omnibus vniuersalia pendere, atque oriri; ergo ex hac doctrina licet colligere, clara luce, Hyppoc. narrando docere præcedentibus sensibus, præcedentibus infirmorum obseruationibus multis, præcedentibus multis memoriis, a quibus experientiæ oriuntur omnes, atque vniuersalis cognitio quiescentibus omnibus videtur consequi, vt peripatetico videar vti verbo.

Cui difficultati liceat respōdere per capita primorum principiorū, ac primæ veritatis non esse necessarium experimentum præcedens, propterea quod habitus primorū principiorum, nec sunt pure naturales, nec sūt purè acquisiti, sed partim arbitror esse ad intra, partim ad extra, sic placuit Arist. 2. æthic. vbi statuit, habituū semina in anima nostra esse: prima enim principia naturales causas sibi vendicant; quapropter habitus primorum principiorum, neque ab aliis habitibus fiunt sicut cæteræ virtutes, seu potentiæ, neque sunt a natura, vt sint omnino determinati, sed in potentia proxima tam actiua, quam possiua; termini vero perfectionis sunt sensus, qui experientias determinant; quare concludendo dicimus, principia prima esse à natura initiatiue; completiuum autem seu perfectiuum ad extra, experientiarum infinitarum consequente concursu; iure ergo merito dicit magnus philosophus principiorum primorum habitus, neque esse naturales,

Doctrina consideratione digna.

neque acquisitos, sed vtramque sapere naturam; internum principium initiatiuum, externum vero terminans, & perficiens; quæ porrò principia vera cum sint, philosophi liceat colligere verissimam conclusionem, Hippocrat. narrando docuisse, quę ad artis vsum videbātur principia necessaria: quam conclusionem satis superque declarasse arbitror, principium internū fuisse initiatiuū, perfectiuum autem externum scilicet experimentale; quare habuere principia externa medicinæ experientias, sed solummodo completiua, quoniam habitus primorum principiorum non ab arte, sed ab interno principio ab Hyppoc. comparato, exterius manifestauit Hyppo. in indiuiduis; ne autem aliqui legentes gratis dicant id esse concedendum, liceat firmissimis doctrinis, ac rationibus confirmare; etenim si Hyppoc. voluisset artem inchoare ab experientiis, a languentibus exordium sumpsisset; tamen diuisiua methodo, & diuina, ab illo fuit proposita, vt infra docebo, de constitutionibus aereis, primo loco tradens doctrinam, mox ad experientias infinitorum languentium examinandos se conuertit, & hęc ratio apud me fuit adeo demostratiua, vt duxerit me ad hoc opus interpretandum. Rursus Hyppoc. primo de nat. humana dicebat, si vnum esset homo, non doleret; quod sanè principium non ab externis causis, & experientiis, sed ab interno principio secum philosophatus, diuinus senex hæc docuit

Principiū internum fuisse initiatiuū ex ternū perfectiuū, s. experimētale.

cuit

cuit, in quib. multos legimus lapsos, qui se Hyppocratis profitentur esse imitatores: virtutum ergo semina a natura contracta, ab externo principio perficiuntur. Rursus Gal. 3. de locis aff. cap. 3. habet hęc verba, idque sibi persuasum habeat, hac via, & ratione medicamenta me inuenisse, quibus morbos raro euenientes curarem, cum antea neque pręceptorem vidissem huiusmodi morbos curantem, neque ipse expertum aliquod habere remedium, id quod per Deos immortales affirmare nequaquam timeo: ex quo colligitur, medicinam non habuisse originem ab experientia, sed a scientifico habitu, sed satis spatiati sumus ad hoc comprobandum; clariori tamen methodo seriatim in omnibus Hyppo. libris enodandis, veritatem clarius demostrabimus.

De Methodo hyppocratica, & Vtrum Hyppoc. rationalis fuerit Medicus. *Cap. IV.*

Liceat mihi antequam ad hos libros germanos, atque obseruationes Hyppocraticas declarandas, deueniamus, quæcunque fuere a primo pręceptore declarata enodare, pręsertim cũ multis historicus, atque obseruator Hyppocrates videatur, præsertim, cum totam doctrinam confirmant ab obseruationibus ægrotantium, atque ab

operibus artis initium traxisse; propterea meæ erunt partes aliqua supponere pro docendis, atque illud in primis, Hyppocratẽ mæthodi fuisse inuentorem in omnibus suis libris Germanis semper demonstrasse, ac primum fuisse philosophum. Libri autem Germani sunt, primus de natura humana, libri aphorismorum diuisi in septem sectiones, libri tres de ratione victus, libri prognostici diuisi in tres partes, libri de his, quæ in medica officina fiunt, libri epidemiales, libri de articulis, libri de fracturis, liber de aere, aquis, & locis, & vt placuit multis, liber de alimento, liber de humoribus.

Hypp. methodi inuentor.

Libri germani, ac veri hic numerantur ipsius Hyppocr.

Placuit Mercuriali viro variarum lectionum clarissimo in prælectiones pisanas, Hyppoc. sine euidenti ordine scripsisse commentaria, quod videtur confirmare ex Gal. qui primo de fracturis comm. primo ait, veteres omnes, & Hyppo. etiam sine euidenti ordine commentaria scripsisse: quam opinionem tanquam erroneam, atque Gal. fidelissimo interpreti licet impugnare.

Opi. Mercur. de ordine Hyppocratico proponitur.

Gal. primo methodi cap. 2. statuit, Hyppocratis de natura Aristotelem fuisse interpretem, tùm in morborum discrimine quotquot, & qui sint, tùm in sympthomatibus, & Hyppocratem scimus fuisse inuentorem, & Aristotelem interpretem, ac fusissimè fuisse interpretatum, qui sanè textus a nemine fuit neque obseruatus, neque consideratus, quem hucusque, aut viderim, aut legerim, & id,

quod

quod reddit negotium difficilius; est nouus textus primum confirmans: nam Gal. 2. libro de naturalibus facultatibus, cap. 4. habet hæc formalia verba, de morborum generatione, & remediorum inuentione, primus post omnium memoriam Hyppocrates dixit, Aristoteles post eum rectè est interpretatus. Rursus idem Gal. eodem cap. 2. statuit scholā peripateticorum, ac stoicorum iuditio, Hyppocrati in philosophia dandam esse, qui textus supponunt diuinum Senem non empiricum, sed rationalem, ac methodicum, philosophicæ partis inuentorem, hanc verò partem empiricam citra methodum, citra rationem inuenisse nullo modo est asserendum. Rursus incedendi modus, ac scribendi norma ostendit Hyppocratem fuisse scientificum, ac Methodi inuentorem; & si præcedentes rationes, & loca non sufficiunt ad demonstrandum Hyppocratem scientificum, luculentius nunc allatura demostrabunt.

Nam Hyppocra. primo de natura humana in primis textibus principia phisica corporis, prima elementa philosophatus inuenit, vt particulari libro de natura humana declarando innuam; Idem Hyppocrates philosophatus naturas febrium diuisit eas in continuas, intermittentes, diurnas, & nocturnas, in compositas, & simplices; ex quibus clara luce licet colligere Hyppocr. methodicum, ac scientificum fuisse præceptorem, ac proinde semper

vsum

vsum fuisse methodo, dum dialecticam primus inuenit.

Ficta immaginatio Vallesi. Quare non possum non magnopere redarguere Vallesium primo epidemiorum commentario 3. super textum Hyppocratis febres, l. continuæ, l. nocte inuadũt, semitertianæ, quartanę, quotidianę, qui asserit Hyppocra. sciuisse dialecticam vulgari vtiliorem, non prosequens omnia vsque ad minima, sed nullam vtilem partitionem derelinquens; quam opinionem tanquam erroneo, & manifesto peccato errasse paucis ostendam; etenim Hyppocr. primo aphorismorum 14. demonstratiuo vtitur argumento; nam ex vegetiori calore plurimum, ac copiosum arguit victum, atque sic argumentatur Hyppocrates, illi indigent maiori copia nutrimenti, quibus inest maior calor, sed pueris inest maior calor, ergo copiosior debetur victus.

Prob. maior, nam illis debetur copiosior victus, quorum corpora dissoluuntur, nisi victus tribuatur; sed pueris id poterit accidere; ergo: hic autem demonstrandi modus supponit Hyppocr. nedum logicum, immó vero illustrissimũ philosophum, errauit ergo Vallesius qui vulgari vtiliorem censuit cognouisse logicam. Rursus contra hominem sic argumentor; diuinus Hyppocrates primo de natura humana, textu quinto, ex dolore colligit pluralitatem elementorum: sic ergo argumentatur contra antiquos, si homo esset vnum, non doleret, dolet,

let, ergo compositio est ex variis contrariis, sed textum hunc infra declarabo.

Præterea Turisanus errauit, qui libro primo artis medicinalis, textu quarto, statuit, antiquos interpretes fuisse rudes, inchoantes à sensibus, insipientium est inchoari à posteriori, atque sensibus: vnde quidam ex antiquioribus, quæ obseruarunt in ęgrotantibus accidentia mandarunt omnia libris sicut Hyppocrates; (hæc habet Turisanus) contra Hyppocratem, quem manifesto cœlo errasse argumenta supra allata demonstrant, hæc sunt contra Turisanum; demonstrauimus siquidem, omnia Hyppocratis verba fuisse methodica; neque fuit inconueniens primo medicinæ inuentori, artem, eiusque principia inchoasse à sensibus, loquendo de principiis completiuis, vt paulo supra declarauimus cum Aristotele.

Pręterea lapsus fuit Capiuacceus, qui in opusculo, de differentiis doctrinarum, cap. 36. inuenit doctrinam quandam experimentalem, quam distinguit à methodica; dicit siquidem, originem huius doctrinæ experimentalis esse a sensibus, & exemplificat suam opinionem de reubarbaro; reubarbarum iuuit Socrati, & Platoni, ergo omnibus; ex quibus obseruationibus reubarbari in multis indiuiduis fiunt multæ memoriæ, ex quibus resultat simulacrum memoriæ, opus animæ sentientis: hæc habet Capiuacceus.

Sed

Error Capiuaccei.

Sed miror, Capiuacceum excogitasse talem docendi modum; etenim recedit ab Aristotele, & imaginaria sunt omnia; quod licet demostrare; nam idem est dicere experientiam doctrinalem, & doctrinam experimentalem, quæ non peritiam, vt ipse dixit, sed habitum parit scientificum apud intellectum; nam ego peto, quæ differentia est inter intellectionem, habitum scientificum, & hanc doctrinā? porrò nihil est in nitellectu, quin prius non fuerit in sensu, & omnis nostra cognitio ortum ducit ab illo, ac eadem via incedit intellectus in phantasmatibus, demandatis ab externis sensibus, quæ plantasmata conseruantur in memoria, tanquam in libro scripto; intellectus discurrendo intelligit, ex frequentatis ergo memoriis, resultat scientificus habitus, methodicus, ac perfectus, non autem doctrinæ experimentalis. Secundo contra hominem sic argumentor, quoniam doctrina hęc, quam appellat experimentalem, causat quid tertium apud intellectum, quod ab experientiis recedit, deniq́ue confundit terminos, dum apud Aristotelem habemus in analiticis, omnia acquiri ex sensoriorum ope, & auxilio. Quantum vero ad id, quod de simulacro consurgente asserit, simulacrum hoc aut est habitus scientificus, aut forte idem est, quod memoriæ representatur; hoc autem secundum dicendum non erit, quandoquidem parit doctrinam, ergo dicendum erit esse habitum scientificum, causatum

ſatum ex frequentiſſimis ſenſationibus, ac memoriis externis.

Textus tamen eſt Galeni euidentiſsimus contra omnes ſcriptores hucuſque numeratos, libro nono methodi medendi, cap. 8. (nemo ante nos methodum ordine definiuit, quanquám ab Hyppocrate via eſt inuenta, ſubdit, primus enim inuentor fuit, neque potuit omnibus operam dare, neque dignitates rerum finire, plurima pro antiqua breuitate omiſit, atque interpraetatus, Medendi viam omnibus aperuiſſe, neque potuiſſe omnia abſoluere, & exemplo vtens viarum, alias dicit fuiſſe paduloſas, alias lapidibus impeditas, vel propter magnitudinem fluminum, inuiæ longæ, vel aſpere, & paulo infra concludit viam, & rationem ab Hyppocrate fuiſse inuentam) quid clarius aut legi, aut excogitari poterat in via Gal.

Primus inuentor methodi fuit Hypp.

Inſuper Galenus primo de acutis, text. 8. dicit, Hyppocratem pro morbis inueniendis fuiſſe vſum methodo; tradit ergo methodo omnia, ſed non potuit omnia abſoluere: quoniam inuentioni, ac breuitati ſtuduit.

Hypp. pro morbis inueniendis fuit vſus methodo.

Quare concludendum, Hyppocratem fuiſſe methodi inuentorem, aduerſus eos, qui ſub empiricorum ſecta collocarunt. Quare nemo ſanę mentis poterit negare, Hyppocratem methodicum, ac philoſophum primum: eam tamen methodum non potuiſſe perficere more primarum viarum,

D quæ

quæ a sequentibus fuerunt completæ, ac perfectæ, vt interpræti fidelissimo Galeno credendum erit; quæ si vera sunt, sicut verissima, qua ratione motus Vallesius asserit, ignorasse veram dialecticam, sed nouisse illa uulgari vtiliorem; propterea liceat nobis, quæ vniuersali quadam ratione, ac theoricali via demonstrauimus, ad particulares, ac singulos libros nos conferre examinandos.

Germanorum Hyppocratis Librorum Methodus demonstratur.

Cap. V.

SVpponentes nos primum inuentorem methodi fuisse Hyppocratem, vt luculentissimè demonstrauimus, postulat methodus, vt res de qua agitur, in singulis numeratis, scriptisque libris, singulas particulares methodos ostendendo, doceamus.

Libri primi de natura humana Methodus ostenduur. Cap. VI.

Hypp. philosoph. 1.

MIstus proponitur ab Hyppocrate liber, partim phisicus, partim medicus: phisicus quidem, propterea quod tanquam philosophus primus disputat contra eos, qui dicebant,

bant, hominem esse vnum, ac proinde prima elementa corporis humani inuenit. Medicus vero, quandoquidem veram curandi viam patefecit, atque medio medico vtens, & eo declarato, colligitur Hyppocrates philosophus; & medicus primus; immo audebo dicere Hyppocratem duo præstare in primo libro de natura humana, videlicet constituere hominem, & constituere artem; rem doceo, a nemine, quem hucusque aut legerim, aut audiuerim, excogitatam: immo admiror scriptores libellum de natura humana interpretantes, & alios de hac re oscitanter pertransisse omnia silentio.

Hypp. constituit hominē eodemq́ tēpore cōstituit artē.

Ad rem ergo deuenientes dicimus, Hyppocratem primo de natura humana, textu quinto, vbi ait, si vnum esset homo, non doleret: in quo principio duo relucent, obseruatione digna, videlicet, constitutio hominis, & constitutio medicinæ; quod sanè principium vtrumque præstare, neminem vsque ad hæc tempora, ex Hyppocratis authoribus, animaduertisse vidimus; de qua re, Deo duce, parte prima theorematum medicinalium typis excudenda, erimus fusissimi.

Huius igitur libri Methodus appellabitur diuisiua, & aliqua ex parte compositiua, etenim Hyppocrates fuit exorsus a simplicibus, hominem componentibus, disputando prolixa oratione, de primorum corporum numero; ex alia parte appellari poterat duisiua; nam diuidens hominem in ele-

menta prima, quærit, an ſit vnum, vel multa, atque excludendo vnitatem demoſtratiuis rationibus pri morum corporum multiplicitatem cõcludit, comprobatque ex dolore, ex quo tanquam medio termino curandi viam, ac Methodum, excogitauit omnem, atque diſputando de elementorum numero, de humorum ſpecie, more proęmii, inquit, quicunque de natura humana altius diſſerentes audire conſueuit, quantum ad medendi facultatem pertingat, huic non eſt commodum meum audire ſermonem, neq; enim prorſus dico aquam aerem, aut ignem, quoniam non eſt manifeſtum vnum in homine eſſe, ſed volentibus dicere hæc permitto.

Hyppocratis intentio eſt de hominis natura ſermonem habere, atq; multa ab antiquioribus prauè dicta, ab hoc opere ammouere; in præſenti præfatur argumento vtens demonſtratiuo, atque diuiſiua Methodo, tanquám priſci philoſophi faciunt, in cuiuſcunque entis perſcrutatione; quærunt, ſimplex ne ſit illius entis natura, an fortaſſe multiplex, vnum, an plura dicantur eorum principia; nam propter dignitatem contradictionis, dicere oportet, aut eſſe ſimplicem, aut non ſimplicem naturam, quam diuiſiuam Methodum per contradictionem habitam, ſcientiam parere videmus.

Altius ergo petito exordio incipit diuidere, & antiquorum malè philoſophantium dogmata de vnitate,

vnitate, & natura elementali incipit narrare; atque vana philosophorum dogmata redarguit, eodemque tempore principia hominis constituens, medio itaque sumpto termino, a dolore, a sensu contrarietatis, syllogismo vtitur hypotetico a destructione consequentis ad destructionem antecedentis, sic argumentatus, si vnum esset homo, non doleret; sed homo dolet, ergo non est vnum.

Aduersus infinitos philosophos, aduersus Thalem, aduersus Eraclitem, contra Anaximenem, & infinitos alios philosophos, ea tempestate vigentes; declarata diuisiua Methodo, & inuentionis norma, vt diximus; nunc autem confero ad alios libros examinandos; in hoc enim primo libro, de natura humana, spero me fore locupletissimum, vbi theorematum medicinalium parte prima istę primæ propositiones explicabuntur.

Modus arguēdi Hyppoc. cōtra philos. antiquiores.

Hyppocratis Librorum, quæ in Medica officina sunt, quænam fuerit Methodus obseruata. Cap. VII.

REm fuimus aggressi nouam, propterea fuimus coacti nouam proponere, ac inuenire Methodum, antiquissimis tamen, sed non nouis innixam principiis, quàmuis nemo ante nos prouintiam hanc susceperit, vt a calumuia primum

præ-

præceptorem saluaret; sed more artificum inter empiricos, ac manuales collocantes, eum a propria, ac singulari, laudeque diuina deturparunt; propterea insinuata, ac declarata priori Methodo, quæ ad primum librum, de natura humana, spectare videretur, ordo postulat, vt Methodum circa hos libros ostendamus, exorsi a verbis Hyppocratis. verba hec sunt.

,, Similia, an dissimilia a principio obseruanda ex
,, maximis, facillimis, ex omnino, quocunque mo-
,, do cognitis,) in quibus verbis, & similibus, quanta polleat dicendi vbertas, quæve Methodus hisce sit inclusa verbis, Hyppocrates per verba numerata ostendit medicinam, resoluente Methodo, quam positionem licet probare ex verbis Galen. in commento: nam Hyppocrates supponit sanitatem pro fine medicinę; expetitur autem sanitas ab illis, qui illam exercent, subdit Galenus; apertum siquidem est, esse quandam contemplationem, quæ ab eo discenda est, qui naturalem in nobis, siue dispositionem, siue dispensationem, siue statum, siue quouis alio modo appellet; ex quibus verbis supponitur, Hyppocratem præfigere finem, scilicet sanitatem, propterea inuenit media, ad hunc finem adipiscendum, est autem pars illa lymiltica, seu de signis; scimus enim ex Gal. ordinem resolutiuum fieri ex finis notione, atque ad inuentionem multum conferre, vt primo artis Medicinalis in principio inquit

Galenus.

Galenus. Quare notanda sunt verba illa, dum dicit (habenda siquidem est contemplatio ea, quæ ab eo est addiscenda) ergo ex Galeno habemus partem hanc esse contemplatiuam; pars autem contemplatiua supponit Methodum, seu scientiam, atque clarius demonstrantes dicimus, in his libris finem esse sanitatem de his, quæ in medica officina fiunt, in quibus magna adest signorum cognitio: supposito ergo fine medicinali, vt puta, sanitate, Hyppocrates totam de signis tractationem adimplet, ac perficit. Immo Galenus adeò doctrinales, ac Methodicos censuit eiuscemodi libros, vt totius artis proœmium commune fuerit arbitratus; propterea multi fuerunt huius sententiæ, hos libros esse legendos ante alios, tanquam introductorios; hæc habet Galenus in initio librorum de his, quæ in medica officina fiunt.

Methodus ergo hyppocratica fuit diuina, dum supposito fine, resolutiua vtitur Methodo, exordium sumens a signis, atque vt pro commodiori, ac faciliori via finem consequendo declararet, tria statuit signorum genera, quibus tota signorum pars innititur, tanquam a posteriori philosophatus diuinus senex.

Circa Visum.

Circa tactum.

Circa auditum.

Quasi vellet innuere, ex visibilibus, tangibili-

bus,

bus,& audibilibus ſignis, nos conſequi finem omnem, & tanquam primus philoſophus omni ſcius, ſtatuit, nihil eſſe poſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, & omnis noſtra cognitio ortum ducit ab illo; ergo prudentem, ac rationalem medicum obſeruare neceſſe erit, an ſigna ſint ſimilia, an diſſimilia, an diſſimilia ſanis, an ſint paria, an imparia, quave ratione diſcrepare dicantur; etenim volens ſpeculari via ſigni, ſeu demoſtratione, quia, tribus vtitur ſenſoriis, tanquam magis conſideratione dignis.

Quantum ad primum, eſt facies Hyppocratis, cæteraque ſignorum genera adſunt, de quibus in prognoſticis, pręſertim in primo libro, legitur Hyppocrates locupletiſſimus; nam oculos ſignificat eſſe concauos, tempora collapſa, cutim rugoſa, hæc, & alia.

Circa tactum vero, an ſit cutis arida, an dura, vel diſtenſa. Circa auditum ſternutatio, tuſſis, flatus, hæc docet diuinus ſenex textu ſecundo, Textu vero tertio, quoniam cenſuit agendi viam, atque ordinem pendere ex ſenſibus, addidit, facultatem ſuperiorem iudicantem, eſſe neceſſariam; ipſam autem appellauit intelligentiam, quam vt habet Galenus, & philoſophi omnes appellant, mentem, ſeu intellectum; non ergo videbatur eſſe ſufficiens methodus ex ſenſibus orta, niſi diania appellata a philoſophis, ea, quæ a ſenſibus ſubminiſtrantur, corrigeret;

geret;

geret; diuina ergo dicitur esse philosophandi ratio, supposito fine, omnia media inuenire, quæ a sensibus oriuntur; sed quia sensus potest esse deceptionis causa, propterea excogitauit Hyppocrates superiorem potentiam debere sensibilia corrigere, videlicet dianiam, (quid ergo diuinius, ac illustrius excogitari poterat scribendi genus?) vt iure optimo inter primos introductores libros putauerit esse primo loco legendum, vt in initio huius libri explicare, atque inducere videtur; quam doctrinam Hyppocraticus docēdi progressus verissimam affirmat, propterea quod dum in initio secundi libri delegationes resolueret in species, diuisiua vtens methodo, asserit, vel esse facientem, vel esse factam. Rursus diuidens facientem, dicit vanas debere habere conditiones; prima vt sit celer, secunda vt non sit dolorifica; tertia elegans; quarta prompta; quas conditiones dicit esse absoluendas; celeritatem perfici, vt opus absoluatur, sine dolore laudatur ab Hyppocrate agendi facilitas.

Rursus diuidens factam, duas dicit habere conditiones, rectitudinem, & pulchritudinem; diuidit deinde pulchritudinem in simpliciter distinctam, hæc & alia docet Hyppocrates in his, quæ in Medica officina fiunt; quare tempus est, vt methodum ostendamus in aliis, in quibus non est diu immorandum, sicut in libris de articulis, & fracturis, propterea quod exorditur Hyppocrates

a natura, eiusque operibus, asserens naturam esse iustissimam.

In Libris prognosticorum, quæ fuerit obseruata Methodus.

Cap. VIII.

POstulat rei pertractandæ ordo, vt in libris prognosticorum eandem venemur veritatem, ac docendi genus, propterea in his libris conabimur demonstrare eum esse scientificum sicuti in enumeratis satis superque luce clara declarasse videor.

Supponit ergo Hyppocrates, finem esse dubium ratione euentus, an sit futurus pernitiosus, an salubris; quem euentum conatur inuestigare ex quamplurimis signis, necessitatem primo loco perquirens, tractationis vtilitatem proponendo, vt laus ac victoria sit digna medico Hyppocratico, propterea exordium sumens a fine vario, atque ambiguo euentuum, quamplurimas proponit differentias;
„ hæc habet conuocato medico multos perire, non-
„ nullos diem viuentes vnum, nonnullos ex vi mor-
„ bi; propterea in morbis si quid diuinum reperias, oportebit prædicere prouidentiam; supponit ergo finem esse euentum prædicere in morbis: diuidit ergo euentum in tempora, atq; differentias, tamen

essentia morbi bene cognita; propterea diuisiua proposita, ac enodata Methodo, exorditur a signis, vtens demonstratione, quia, seu a signis, & ad figuras se confert manifestandas primo loco de ægrotantium occubitu, seu vultu, agens, deq; sanorum, & ęgrotantium similitudine differente; deinceps ad actiones vitiatas, ad respirandi differentias, ac modos accingit, se enodandos, atque de excrementis, vulceribus, tumoribus sermonem proponens semper methodicæ, ac rationalis sectæ obseruatur princeps, hæc, & alia docet Hyppocrates diuinus in præsagiis.

In Libris de ratione victus, quæ fuerit obseruata Methodus.

Cap. IX.

QVàm aperte libri de ratione victus Hyppocratem methodicum ostendunt, prima verba luculenter testantur; etenim contra Gnidias vocatas sententias argumentatur; siquidem ignoratis signis, nihil eorum meminentes, quę ad dignotionem facessere negotium oportebat, in varios lapsos esse errores, eoque magis ad coniecturalem cognitionem spectare videretur, aliter, quam alii, fuerunt philosophati, seu errauerint, atque volentes clariori stylo ea omnia demon-

strare, vno solo erimus contenti verbo Hyppocratico, innuente diuinam Methodum; inuestigat siquidem Hyppocrates, atque perquirit errasse Gnidios, quoniam coniecturalem cognitionem prætermiserint; coniecturalis autem cognitio supponit a re nota, ad rem notam debere incedere; talis autem incedendi modus erit methodicus, & non empiricus, atque adeo redarguit eos insufficientia, atque ignorantia; quoniam methodum non fuerint assecuti circa cognitionem, atque morborum partem prognosticam, circa finem consequẽdum, videlicet circa medendi viã, circa morbos; propterea sub clariori stylo dicamus secundum Galenum primo, de acutis, 8. vbi docet Hyppocratem fuisse vsum Methodo pro inuentione morborum, quandoquidem Gnidii medici debebant prius morborum omnium perquirere essentias, deinde rationem victus pertractare; quod non fecerunt prisci Medici; quare concludendum Hyppocratem fuisse vsum methodo in omnibus libris, quos composuit, prout vires ingenii mei demonstrare permiserunt; propterea nunc me confero ad alios libros enodandos, quos eadem inductos Methodo aperiemus.

Aphoristicæ doctrinæ Methodus quænam fuerit. Cap. X.

QVæ hucusque in aliis libris declarauimus, verissima cum sint, veriora, ac difficiliora declaranda, atque demonstranda nobis supersunt, præsertim, cum tota difficultatis ratio ex eo pendere videatur, quoniam Galenus septimo aphor. penultimo, dicit, aphoristicam doctrinam fuisse collectionem plurimarum enunciationum; supponenda ergo erit enunciatio vniuersalis, quoniam præcepta, quæ hic traduntur, vniuersalia cum sint, porro principia artis medicæ appellabuntur, constituentia illam.

Propterea liceat ad opiniones varias examinandas deuenire, quas conabimur ad lucem perpendere.

Capiuacceus statuit libro primo aphorismo. lectione prima, in fine, aphoristicam doctrinam, esse modum docendi, non autem ordinem. *Lapsus Capiuaccei.*

Sed miror Capiuacceum methodi sane virum doctissimum, qui putat distingui hæc duo; nam dicere modum docendi, & ordinem docendi, arbitror esse distinctionem nominalem, & quæstionem logicam, atque a parte rei nullam esse prorsus distinctionem, & coincidere in idem, & errasse penitus: etenim dicere docendi modum est, dicere do-

ctrinæ

ctrinæ modum; doctrinæ autem modus exorditur ab vno principio: hoc autem principium cum sit vnum, aut est medium, aut finis, aut principium, ex quibus docendi modi erunt desumendi varii, & sic coincidet in componentem ordinem, resoluentem, & definientem, quo fit vt cogatur fateri libros hos esse doctrinales, scientificos, ac methodicos.

Quod si per modum docendi intelligat Capiuacceus succintum, ac breuem philosophandi stilum, via vtes aphoristica, parum refert, si sententiæ inter se connexionem nullam habeant; dũmodo tamen, a scientifico principio aphoristica doctrina pendeat; id solum videbitur sufficiens; in sententiarum autem connexione necessitatem admittere, atque perquirere; præter rationem arbitror satis superque sit, scientificum me demonstrasse scribendi ordinem.

Censuit Argenterius primo aphor. cap. 9. circa prologomina in hos libros, Hyppocratem nullam obseruasse Methodum scientificam; nam in primo libro docendi victum, atque euacuandi normam statuit; in secundo signa, in 3. causas signorum; propterea primo exposcebat Methodus agere de naturis morborum, de causis, & signis; deinde agere, de victu, & de pertinentibus ad victum; quare non erit rationi consentaneum primo loco pertractare de victu, sic statuit scientificam docendi rationem

tionem, non fuisse obseruatam.

Verum pace subtilissimi scriptoris dixerim, non erat ab Argenterio increpandus Hyppocrates primus præceptor, quasi vero casu quodam, & empirica obseruatione aphoristicam tradiderit doctrinam citra methodum; etenim supposito eo primo principio medicinam in additione, & subtractione consistere, quam definitionem medicinæ alibi tradiderat, ac patefecerit, quæ sanè definitiua methodus prædicatur de duplici instrumento, nutriendi, scilicet, & euacuandi; quæ duo instrumenta tametsi sensibus innitantur, corriguntur tamen ab intellectu; quare liceat sic philosophari in doctrina Hyppocratis, sicut philosophatur Galenus opusculo artis medicinalis in principio; dicit enim Galenus, medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum, quę definitio in se tria includit, ac de illis prædicatur, primo de corporibus, secundo de signis, tertio de causis; ita supponendo medicinam esse definitam, mediante subtractione, & additione: prædicatur enim de duplici instrumento, videlicet de instrumento curandi, & de ratione nutriendi languentes, atque in vtroque instrumento, quid poterat Hyppocrates inuestigare exquisitius, desumens indicationem victus ab essentiis variis morborum, ab eorum temporibus variis, a viribus languentis, a temporibus anni, ab operibus naturæ; diuisit enim victuandi scopum in

Lapsus Argenterij.

in ſtatus varios, vt videar reſpondere Argenterio.

Rurſus de euacuatione loqués, diuiſit euacuationum genera in varias cauſas, & ſigna cauſarum in ſympthomata varia, quæ inanito, euacuatoque corpore accidere comperimus, dum interdum euacuationes extremas damnat, propter virium iacturam, dum turgentes ſuccos contemplatur, eorumque euentus varios, dum extremitatem rimatus diuinus ſenex, illico eodem ſcopo, eademque indicatione vtens, per extrema debere medicum incedere auxilia, ac proinde totus Methodicus, ac diuinus obſeruatur Hyppocrates.

Neque neceſſarium erat prima inuenta probare principia in his aphoriſmis; ſatis enim fuerat alibi dum prima artis iecerat fundamenta, confirmata, probata, ac ſtabilita declaraſſe.

Neque credendum erit Hyppocratem præter naturam victum confundiſſe cum ſanis, & ægrotantibus, confundens ſermonem, propterea quod non poterat bona oriri indicatio pro languentibus, niſi ſanorum etiam corporum fuiſſet primo loco mentio facta prius; propterea vt ſciamus quantæ ſint vires ſalubrium corporum, quove bonitatis gradu ægrotantia corpora a ſanis recedant, poſtulabat docendi ordo, vt ex neceſſitate ſequellæ, atque naturæ, docendique recto ordine, de vtroque ſtatu corporum nutriendi mentio fieret exquiſita: quæ doctrina ne aliquibus videatur paradoxa, ac

imagi-

imaginaria, liceat vno, vel altero vti exemplo; qua enim ratione senes corripi non possunt acutis febribus, & paucis indigere fomitibus pro eorum nutritione, duplex videtur in hac sententia relucere status, alter naturæ, alter præter naturam; propterea rationabiliter a cognitione temperamenti, atque ætatis pendere, clare costat; immo ex frigiditate temperamenti. Præterea vndenam pendeat medendi via, de indicatis auxiliis, ac prognosticandi via, & ratio certissima est, & non fallax, porro hæc omnia a temperamento vario, propterea de puerili ætate verba faciens, in qua calor dominatur, ac viget, varia docet nutriendi, atque euacuandi dogmata Hyppocrates; ex quibus liceat colligere præter rationem ab Argentario fuisse redargutum Hyppocratem, dum de sanis, & ægris eodem tempore peragere videtur, vt supra satis demostrasse videor; illud vnum silentio non præteribo contra hominem, non posse statum præternaturalem primo loco intelligi, nisi natiui status præcedat cognitio, vt medicus rationalis cognoscat, an conseruandus, an curandus, an restaurandus, & si quæ emergant sympthomata, ea lenienda sunt omnia, & Hyppocrates docuit, & medicorum vniuersa docet schola.

Insuper quonam argumento maiori poterat diuinus senex vario modo corpora nutrire, a variis correpta morbis, nisi ætatis vigentis, declinantis,

ac mediæ fieret mentio prius, a qua tam quam a simetria prima, & nutriendi, & euacuandi ratio desumitur certa, sic placuit Hyppocrati primo aphoris. 14. & 15. & sparsim alibi, a quibus sane ætatibus humidi dissipatio; restauratio alterandi, ac resistendi copiosius diminuto, atque aucto modo, indicata vera, ac firma desumuntur omnia; exposcebat ergo methodos vtriusque status meminisse tam salubrium, quam insalubrium corporum, ne vna esset, ac vniformis alterandi, nutriendi, ac euacuandi norma; quam doctrinam esse certissimam, ac methodo innixam omnem, liceat clarius demonstrare.

Supposita ergo Hyppocratis definitione medicinæ, eaque prędicata de duplici instrumento, vt diximus, diuidit instrumenta illa in quattuor conditiones seu indicata; etenim volens pertractare de nutriendi via, quattuor essentialia proponit, videlicet primo quantitatem, secundo qualitatem, tertio tempus, quarto modum, quas sane conditiones in nutriendis collanguentibus, atq; in euacuandis illis adimplet Hyppocrates.

Si de victu primum loquamur, diuidit illum in tenuem, plenum, magis plenum, & alias differentias.

Si de qualitate loquamur, febricitantibus dicit humidum victum conuenire primo Aph. 16.

Si de nutriendi tempore dicit, ab accessionibus

esse abstinendum, primo Aphorism. 11.

Si de modo docet Hyppocrates interdum rarius, interdum frequentius cibum esse exibendum, primo Aph. 17.

Atque de euacuationibus loquendo eadem videtur vti methodo; nam de quantitate euacuationis athletici corporis, vtens exemplo multa docet primo Aph. 3.

Si de tempore euacuandi expectat concoctionem, 1. aphor. 22. concocta esse medicanda, neque mouenda esse cruda.

Si de modo iubet Hyppocrates obseruandam esse naturam operantem, atque per eandem partem esse operandum, per quam natura mouet, primo aphoris. 21.

Quod si de qualitate rei euacuandæ loquamur, intelligentes per qualitatem rei euacuandæ speciem peccantium humorum, clare constat, Hyppocratem esse locupletissimum 1. aphor. 2. 1. aphor. 23. neque sententia ita frequenter repetitur apud Hyppocratem, sicuti presens, dum habet, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert.

Sed hæc sufficiant pro Aphoristica sententia eno data, diuidens suam doctrinam Hyppocrates in septem sectiones, obseruans, corpora posse destrui a sex rebus non naturalibus, atque sparsim de illis agens, quamuis sententias non omnes connexas proponat; satis tamen sit totam viam Aphoristicam

fuisse methodicam, atque a scientifico dependere principio; sed postulat scribendi tempus, vt id quod erat primum in intentione, sit vltimum in executione, atque ad epidemiales libros me confero examinandos, supponendo Hyppocratem, vt demonstrauimus, semper vsum fuisse Methodo, quam aut in resoluentem, aut in diuidentem, aut in definientem, diuisimus scopum; neque laborandum in quæstionibus logicis, atque inutilibus, sicut inter Zabarellam, Piccolomineum, & alios modernos, neotericos, qui de ordinibus ascribendi via paginosa volumina composuerint: etenim iuxta nostrum institutum, non parum fuit demonstrasse Hyppocratem fuisse methodi inuentorem, in omnibus, quos composuit libris, de germanis, ac propriis sermonem habens, spuriis tamẽ libris, ex parte derelictis, primo ab epidemiis fuisse distintos aphorismos, vt epidem. in casu Polisantis, similiter Euaclidæ famulæ Historiis, in quibus euentus varios vrinarum turbidarum meminit, vt repetit 4. aph. text. 70.

Libro-

Librorum Epidemialium quanam fuerit Methodus Hyppocratica, demonstratur. *Cap. XI.*

SAtis superque dixisse arbitror, quæ ad superiores libros supra declaratos spectare viderentur; denique quid in illis libris doceat diuinus senex & qua vtatur Methodo: nunc autem deuenio ad rem expectatam ab omnibus, & prouinciam primam in initio huius operis præpositam, conabor pro viribus explicare, vtrum scilicet obseruationes in quadraginta duobus languentibus, atque in infinitis aliis methodum aliquam præcludant scientificam, an fortasse merum experimentum.

Plerique moderni scriptores substinent, Hyppocratem obseruatorem fuisse, & sicuti præcepta artis in aliis libris docuerit; hic verò in epidemiis libris narrationes, ac historias tradiderit; & hanc primã opinionem sustinet Vallesius. *prima opĩnio est Vallesii.*

Secunda opinio est Mercurialis inter Neotericos modernos, qui substinere videtur, Hyppocr. sine euidenti ordine commentaria scripsisse: nam propter paucitatem dogmatum Hyppocrates memoriæ mandabat, & scribebat, ad quam opinionem adducit Galenum primo de fract. primo, id affirmantem. Nos verò, qui prouinciam suscepimus *Secunda opinio est Mercurialis.*

diffi-

Tertia opin. nostra noua, & verior.

difficilimam, nouam conabimur ostendere opinionem a nemine excogitatam, aut scriptam, Hyppocratem fuisse methodicum in Epidemiis, & non errantem, contra omnes scriptores, qui circa negociũ hoc, in quo laborarunt omnes, demonstrare conabimur.

Hipp. fuit vsus methodo diuisiua diuidẽdo morbos in causas, atque in varia synthomatum genera.

Propterea sustineo, & nouam cogor proponere sententiam, rationi tamen firmissimæ innixam, a nemine quem hucusque legerim, aut andiuerim, excogitatam, Hyppocratem fuisse vsum Methodo diuisiua; quod liceat ostendere, id, quod ante nos nemo, aut animaduertit, aut speculatus fuit: sed alter ab altero transcribens tamquam librorum indices apparuere omnes, asserentes, Hypp. fuisse obseruatorem, præsertim in illis libris; & vereor ego, ne ipsi increpantes Hyppocratem in labem empiricitatis inciderint omnes. Ad rem ergo deuenientes dicimus, Hyppoc. diuisisse morbos in causas; causæ verò sunt, vel errata in victu, vel errata in aere, eiusque principiis, atque qualitatibus primis, propterea cum supponere varia morborum genera, pẽdere ab aere, ac victus ratione, & 3. aphor. 1. declaraturus erat, mutationes tẽporũ parere morbos; diuisit ergo morbos in causas, de illis vario modo philosophatus, vario modo ex mutationib. veris causas morborũ pendere, atq; oriri docet, de tempestatib. ergo variis sub vario cęlo loquẽs, sub variis obseruationib. notatu digna ac diuina proponit theoremata: diuidere

dere ergò morbos in causas, atque de causis philosophari, non empirica neque obseruabilis, sed scientifica; methodica; ac rationabilis censenda via erit; quam sententiam, & nouam, & proprio marte inuentam poterunt legentes contemplari, ad quam opinionem confirmandam demonstratiuo, atque euidentissimo adducor argumento; etenim ex sene Hyppocratica, & variis anni constitutionibus diuersa proponit morborum genera, discrepantes causas Symptomata opposita, sub cœlo vario, sub temporibus differentibus vigentia, in quibus legimus Hyppocratem locupletissimum in tribus cœli constitutionibus variis, quas primo loco docet ante narratos languentes, post quas constitutiones bene declaratas philosophatus in illis, quantum potuisset mens humana & methodica & scientifica methodus perquirere, morbos diuidendos in causas, vt paulo prius docuimus, obseruationes omnes langentium fuisse accidentiales, concomitantes, & consequentes, & numquam fuisse scopum Hyppocraticum ab experientiis exordiri artem; sed supposita methodo prius scientifica intellectiua resoluente, cœperunt varii languentes obseruari ab illo sene; immo stabilito primo principio phisico, ad quam plurima declaranda se confert diuinus senex Hyppocrates, vt theoricalem doctrinam variis exemplis illustraret, & patefaceret, vt in Philisco, Sileno, Hermocra-

Not. rem nouā numquā Hyp. exordiri artem ab experiētijs sed semp meth. fuisse vsum.

te, &

te,& aliis ægrotantibus quadraginta duobus, aliisque derelictis innumeris, quorum morbi, aut sunt noti, aut sub Hyppocratis via non sunt recensendi. Quare ad Hyppocratem redeat oratio nostra vnde discesserat; atque iterum liceat repetere idem principium, diuisiua vsum fuisse via, dum de variis mutationibus aereis sub vario cœlo, diuersa ac diuina proponit dogmata doctrinalia; debebat si quidem, vt modernorum schola docet vniuersa, historias languentium recensere primas, morbos varios opposita symptomata, discrepantes, euentus morborum longa serie aut saltem Aphoristica via, vt solebat, recolere, quod non fecit; quare non possum non multum admirari, scribentes peccato manifesto, & toto cœlo errasse omnes; Montanum, Vallesium, & Mercurialem, multosque alios antiquiores, quos sub vna eademque opinione cæcutiisse legimus, asserentes Hyppocratem obseruatorem; sed satis superque spatiati fuimus circa doctrinam hanc verissimam, atque nouam, antiquissimis tamen innixam fundamentis; quam opinionem cupio, vt legentes obseruent, & præceptorem primum a calumnia vindicent; cum sub erronea opinione vsque ad hæc tempora extiterint, appellantes Hyppocratem obseruatorem atque a scientifico habitu semper recessisse; sed de hoc satis, confero nunc me ad huius doctrinæ confirmationem.

Lapsus Modernorum demõstratur omnium.

Quo-

Quotuplex fuerit Cœli status, aerisque mutatio, quave ratione morborum epidemialium fuerit causa.

Cap. XII.

QVoniam fuimus polliciti ante historias recensendas ac examinandas est infinitas alias silentio pertransiens, Hyppocratis de mutationibus aeris per agere, cogimur propterea demonstrare, quomodo diuiserit Hyppocrates morbos in causas, inter quas fuit aer, eiusque mutatio varia; vt adimplere videamur ea, quæ ab initio huius capitis polliciti fuimus, Hyppocratem fuisse methodicum scriptorem in Epidemiis aduersus eos, qui se fidelissimos præbent interpretes; status ab Hyppocrate obseruati, morborum causæ variorum, non vnus, sed multiplex fuit propositus; triplex vero ab Hyppocrate legitur, quos status cogor declarare, ne manca nimis ac diminuta videatur docendi ratio.

Primus status

In thaso Autumno circa æquinoctium, & sub vergilias pluuiæ erant multę, continentes leues, vt »
cum spirat Auster Hyems austrina, parui venti A- »
quilonii, squallores omnino similes veris, hyẽs fuit, »
Ver austrinum frigidum, parum pluit, æstas ferè »

tota erat nubilosa, nihil pluit, ethesiæ paucæ, paruæ
" sparsim spirarunt; cum esset autem totus hic status
" Austrinus & squallidus, ante ver expriore cœlo,
" quod huic aduersarium fuerat, aquiloniumq;, pau-
" cos ardentes febres corripuerunt, eosque admo-
" dum stabiles, paucisque sanguis profluxit, nec ex
" his peribant, tubercula verò multis, secundum alte-
" rutram autem plurimis, secundũ vtramque extite-
" runt, febre carebant, erant recti, nonnullis parum
" accendebantur, sed extincta omnibus sunt citra in-
" commodum, neminique suppurarunt cuiquam vti
" solent, quæ aliis ex occasionibus extubebant, erat
" eorum hæc natura, lassa erant, magna, liquida citra
" phlegmonem, atque dolorem, obscurè omnibus
" euanescebant; accidebant hæc adolescentibus, iu-
" uenibus, adultis, atque præter cæteros luctatoribus
" & athletis; mulieribus vero parum multis; multi
" præterea infestabantur arida tussi, nihilque excrea-
" bant, nec multo post grauescebant; nonnulli mul-
" tum post, quibusdam testiculus alter, aliis vterque
" dolore inflammabatur; quidam febricitabant; qui-
" dam non; plurimis hæc laboriosa fuerunt, cęteri
" quantum ad idrelion, idest, medicina sine morbo
" degebant, hoc, & alia docet Hyppocrates in primo
" statu Epidemiali transferens sermonem ad tabidos,
" de quibus est locupletissimus Hipp.

Cuius verba liceat clariori patefacere stylo, atque adeò perquirendum, quotnam sint Austrini status effectus,

effectus, Hyppocrat. tertio Aphorism. 17. duplicis status meminit, scilicet, aquilonaris, & austrini; de aquilonari siquidem constitutione ratio est euidentissima, & Gal. in commento docet, propterea quod cum sit frigidus, & siccus, ventus omnes corporis consumit humiditates, atque adeò robur addit instrumentis, ac partibus; qua ratione ambientis frigidi robustiora, ac densiora fiunt corpora; secus philosophandum de Austrina constitutione; nam cum pendeat ex ventis calidis, atque humidis, atque per regiones calidas pertranseat, effectus qui oriuntur, sunt ab eodem Hyppocrate numerati, scilicet, humectant, ac dissoluunt corpora, auditum obtundunt, grauant caput, torpida redduntur ad motum corpora, visum hebetant, aluos humetant. Varii ergo possunt esse effectus Austrinę constitutionis; Aquilonares ergo, & Austrinæ oppositæ sunt constitutiones, atque naturæ oppositi effectus; verum hic non exigui momenti sese offert disputandi quæstio, qua ratione duarum solùmodo constitutionum meminerit Hyppocrates, videlicet Aquilonaris, & Austrinæ, cœteris derelictis; quare verò illæ aerem etiam non possint intemperare, alterare, atque adeò propria substantia corrumpere? & confirmatur magis; nam si quis fuerit diligentissimus lector Hyppocrat. tùm in aphor. tùm etiam in epidem. obseruabit Hippocratem harum duarum solum meminisse, propterea perquirenda

Dubit. quare duarũ constitutionũ meminerit Hyp. derelictis ceteris.

da erit ratio, & causa huius constitutionis.

Respondetur, impressiones aereas esse variis modis: quædam enim exiguæ cum sint parum durantes in illo, effectus, quos gignunt, aut parere possunt, sunt istantanei, de quibus non curandum, cũ nihil imprimant in corpora; aut satis parum, secus philosophandum de Austro, & Aquilone, quorum qualitates cum diutius morentur in aere, alter refrigerando, & exiccando, alter vero calefaciendo, & humectando corpora, facili negotio, & a calido, & ab humido alterata incalescunt, humectantur, dissoluuntur, ac rarefiunt, calore natiuo foras euocato; refrigerando vero, atque exiccando corpora; similiter alterantur excrementorum colluuie, intus contenta prohibitaque vaporum exhalatione foras a circumsepiente, refrigerato, exiccatoque aere; numeratę ergo qualitates actiuiores diutius morantes in aere, citius, & facilius in corpora imprimunt, ea dissoluendo, humectando, comprimendo vt diximus; & vt iure quidem optimo vtriusque, & solius meminerit constitutionis, non alterius, immo austrina existente hyeme, vere autem consequente Aquilonari in mulieribus abortus concitare docuit Hyppocrates 3. Aph. text. 12. Atque si fortasse partus consequatur infantes imbecilles, ac morbosi euadunt; propterea videndum, quidnam peperit austrina constitutio, quæ væ ægritudines fuerunt consecutæ, & quæ ex rei natura philosophantes conse-

Abortus a qua constitutione aerea oriantur.

qui

qui poterunt, illud in primis supponendo, qualitates aereas esse posse quamplurimas, videlicet calidam, & humidam: verùm quod nostro proposito fauere videtur, est humidæ qualitatis consideratio: etenim in aere humiditas bifariam consideratur, vno modo humiditas ex pluuiarum copia orta; alio modo ex copia vaporum humectato aere, fuliginibus, & exhalationibus perniciosis.

Sed hic posset aliquis petere, quænam sit humiditas perniciosa, & deterior magis, an ea, quæ ex aere vaporoso & exhalationibus pleno, an forte ex pluuiarum copia?

Effectus ex qua euaporatione oriātur deteriores dubitatio curiosa.

Respondetur ex primo capite propterea quod aer cum sit caliginosus, atque vaporosus, corpora grauat, difficulter mouentur, non possunt sensus erigi, fiunt hæbetes, & operationes omnes torpescunt; quod si copia aquarum aerem vaporibus impleuerit, leuiora euadunt magis, non ita grauantur, sensus auctiores fiunt, nulla ratione torpescunt, atque vnico verbo soluendo omnia longe grauiora parit symptomata, atque maligniora, humiditas vaporosa ex variis orta vaporibus, quam si copiose pluuiæ aerem diuturno tempore humectarent; accedit penetratio maior, propterea eius acuties cum fundetur in materia tenuiori, ac penetrabili magis, cuius ope ad interna decumbens viscera, alterando, variis modis, varios ac differentes producit effectus in parte animali, vitali,

ac

ac naturali; animali circa motum, ſenſum, & ſenſoria interna & externa; circa vitalem quando euocatur calor internus ab externo; circa naturalem, cum humiditas aerea corpora obſtruit, opplet, occludit, excrementorum fit magnus aceruus, & per conſequens virtus expulſiua atque concoctiua & omnes hebetantur ſimul; ab vno intemperato, auſtrino aere.

Morbos vero, quos parit hæc auſtrina conſtitutio, varii cum ſint, eos breuiori, quo potuimus ſtylo, ſupra innuimus cum Hyppocrate Aph. ſed clariori via liceat alios declarare effectus, quos Hyppocrates recenſet in Epidemiis. Ego tamen tamquam Aphoriſtica via vtens, recenſere conabor; ſupponentes ergo hyemem fuiſſe auſtrinam ab autumno ſpirantes tali vento, prauas fuiſſe conſequutas exhalationes, in quibus numerandis viderer ſuperfluus, niſi ſcriptores antiquiores de hac re exquiſitiores legerentur, præſertim Montanus methodicus, ac præclariſſimus, poſt Galenum ſcriptor primus.

Morborum genera hic proponuntur.

Raræ febres ardentes.
Parotides.
Aridæ tuſſes.
Genitalium inflammationes.

Tabi-

Tabidorum mortes celeres.

Horrificæ febres more semitertianarum.

Symptomata consequentia proponuntur.

Cap. XIII.

SVdores frigidi.

Diareæ biliosæ.

Vrinæ tenues, & crudæ cum sedimento crudo intempestiuo: tussiebant inconcocta, & cruda.

Dolor faucium cum destillatione tenui, & acri.

Inappetentia.

Nulla sitis.

Deliria circa mortem.

Diminuta profecto, ac manca nimis videretur Hyppocratis doctrina, statum recensentis austrinum, cum quamplurimis morbis, nisi concomitata symptomata numeraret ac recenseret; opus sane methodici, ac diuini scribentis auctoris, propterea, vtrumque onus subire conabimur; primo morborum genera proponere, atque morborum symptomata; secundo philosophari circa causas morborum, ac symptomatibus dilucidiori, qua poterimus via, adimplere.

Mor-

Morborum, ac symptomatum breuis causarum inuestigatio.

Cap. XIV.

ARdentium ergo febrium vt ab initio exordiar; apparitio fuit rara, quæ ortum duxit ex opposito, flante vento Aquilonio, humores ad intimas impellendo partes, & sic ortæ fuere ardentes febres, quam sane clariorem doctrinam reddidit Hyppocrates lib. tertio epidem. comment. tertio tex. 34. Vbi habet (febris ardens non acuta) propterea quod erat tempestas illa, quæ repugnabat, symptomata esse concomitanda necessaria, ac propria, acutis, atque ardentibus febribus, & Hyppocrates primo epid. commen. secundo tex. 18. vbi habet propterea non viguisse phrenitidem, quoniam totus status erat frigidus, quibus languentibus caput non replebatur; ostensum est autem phrenitides fieri, vbi cerebri regiones calefiunt; etenim sopore magis tenebantur, quam delirio, signa euidentissima febres ardentes non fuisse veras, sed spurias tempestate repugnante.

Parotidum generatio erat orta ex eadem tempestate, propterea quod erant tumores molles, digitis cedentes citra dolorem, citra phlegmonem, ratione materiæ flatuosæ magis, quam humoralis, ad diffe-

differentiam malignarum parotidum, quæ a materia maligna dependent, deponente natura ad aures, via symptomatis, & coacta natura.

Tusses vigebant aridæ, cuius sane causam reddidit Gal. id dependere ex statu austrino, cuius opus est caput replere, quo repleto capite destillationis dicitur esse causa; rauci siquidem euaserunt, dum tussirent, irrigatis instrumentis vocis, a quibus vox dependet, desero in præsenti causas raucedinis, ac viciatæ vocis, in quibus nolo transcendere methodum; supponendo itaque instrumenta vocis esse viciata, aut fortasse pro materia tenuitate fluente ad fauces, nihil poterat foras detrudi, & per cōsequens hoc symptoma apparuit & hæc a Gal. est proposita euidentissima causa.

Inflammationes deinde apparuere genitalium, habente consensu supernarum partium cum infernis quicquid a capite decidit in genitalia delapsa materia facili negotio scrotum in inflammationem, & in dolorem transit in consensum; scimus enim ex Hyppocrate lib. de flati. consensus vnus, conspiratio vna omnia in omnibus; & per consequens existente statu Austrino, atque cerebro repleto materiebus vaporosis calidis, feruidis, humidis facili negotio infernæ partes abundantem succum a supernis excipientes testium inflammationem pepererunt.

De celeri vero tabidorum morte, non oportet

Tabidorũ mors celerrima vnde superorta causa inuestigantur.

multum immorari in eorum causa inuestiganda; nam supponentes cerebrum ab austrina constitutione esse admodum repletum, facili negotio humores in corpore potuerunt computrescere, qui malitiam ac prauitatem contrahentes, atque vnico verbo Galeni videor omnia concludere; nam qui citius patiebantur, opportunitate iniuriæ naturæ patiebantur; quasi vero quod Gal. assereret, celeritatem mortis in tabidis dependere dissoluto temperamento.

Defero alias causas celeritatis interitus videlicet calore vitali dissoluto, ac labefactato, spiritib. à materia fere extinctis; partibus solidis solido nutrimẽto carentibus more frondium in arboribus existentium, inde sequitur, vt vitali calore propter dictas causas depauperato, atque humido radicali in consortium trahente illum, mors consequatur citissima, calore diminuto, dissipato, distracto, extincto.

Horrificæ febris causæ.

Horrificarũ autem febrium causæ quidem multæ esse possunt, præcipue vero inæqualis, ac dispar humor partim biliosus, partim pituitosus, calidus humor simul cum frigido mixtus, tenuis humor simul cum crasso mixtus, acris, & mordax simul cum obtuso coniunctus, & tandem breuibus perstringendo verbis, qui continuas & intermittentes simul generat febres, propterea diuinus senex docet febres istas appellandas esse horrificas, propter mi-

xtum

xtum humorem sibi contrarium, a quo mixtus etiam prouenit affectus horrificus, propterea quod peccante bilioso humore, solus rigor efficitur, peccante pituita solum frigus; verum effectus mixtus prouenit ex mixto succo partim calido, & partim frigido; propterea & acutas, & more semitertianarum appellauerit febres, austrino, scilicet, vno flante vento, & huius, & morborum omnium ea tempestate vigentium, causa adæquata.

Hæc videor docere de causis morborum, qui ab Hyppocrate numerantur, ab ea constitutione, & anni tempore, dependentium; eadem ergo philosophandi ratione sympthomatum, ab Hyppocrate numeratorum, causas inuestigãdo dicamus, primo loco apparuisse sudores frigidos, qui aut a materiæ prauitate, aut a crudis succis, aut ab aliis causis dependere, docuit Galenus quarto aphoris. 37. etenim, aut esse extinctum calorem, aut extinctioni proximum demostrat, vt quarto aphor. locis citatis 38. & 39. docet autem in animalis corpore tantam esse humorum copiam cum magna frigiditate, quos calor naturalis superare cum non possit, signum quippe euidentissimum perniciosæ febris, euacuatis sudoribus per cutim, cum tamen sub ipsa comburantur praui succi.

De sudore frigido.

De diarreis biliosis magna videbatur abundare humiditatis copia, & serosi, & succi crudi simul mixti a natura fuerunt expulsi, & mordacitate sem-

De diarrea biliosa.

per comite, vt videar vti Verbo Galen.

De lotio crudo. Lotia præterea præsefer bant cruda cum sedimẽto crasso, & crudo, quorum causa est flammeus, & igneus calor, in crudos, atque crassos humores agens, in quam materiam impotens calor agendo superare illam, magna subsidet succi crudi, ac sedimenti copia, quæ sanæ præstantissimos in arte decipit medicos putantes esse verum sedimentum, prognosticantes morbi salubritatem; videmus tamen certum interitum ab vno succo crudo apparente in matutula more sedimenti, de quo sedimento locupletissimus legitur Hyppocrates secundo prognost. 26. secundo 28.29. Turisanus particulari quæst. de Hypostasi vrinarum Conciliator. Valles. & alii sunt legendi de hac re fusissimi.

De destillatione ad fauces. De destillatione autem decumbente ad fauces, non est multum immorandũ, propterea quod diuinus senex asserit in destillationibus illis, hæc fuisse concomitata symptomata, videlicet dolores in faucibus, inflammationes, rubores materiæ, prauitas, tenuitas, acrimonia, suppuratio, afflictio, quæ tabescentibus corporibus accidisse Galenus in commento docet, & methodus docendique via demonstrat mixtam fuisse materiam destillantem a capite dominante tamen bili a prima illa orta constitutione, cęlique statu diuerso intemperato, atque austrino.

De Inappetentia vero causas perquirendo easdem

asse-

asserimus sicut præcedentium symptomatum materiam vnam esse a cerebro decumbentem ad os ventriculi, ex qua materia ventriculi os & madefactum, & irroratum, denique saturatum permaneret; scimus enim in via Gal. adeo proximam esse viam communicabilem materiam ope neruorum inter os ventriculi, & cerebrum, vt cerebro repleto os ventriculi, & repleatur, & appetendi ratione careat, eademque philosophandi ratione dicimus, irrorato ore ventriculi omni siti caruisse languentes, de qua re fusius alibi ero locupletissimus. *De inappetentia.*

Deliria circa mortem apparuere, quæ non vitio cerebri inflammati contingisse arbitror languentibus tabidis, sed vitio exiguitatis spirituũ, ac depauperato calore, cui phantasmata simul cum spiritibus cum non essent apta subiici, inde deliria sunt consecuti. *De delirio circa mortem.*

Tandem concludens Hyp. morbos ea tempestate affligentes nõnullis assignat vigesimum, aliis quadragesimum, nonnullis octuagesimum diem, quorum sane terminorum ea reddenda est ratio, videlicet mixta materia, quantitas eius, qualitas, morborum essentiæ variæ, quam doctrinam, atque causas clariore stylo patefacere in hystoriis narrandis conabimur.

Hæc de primo cœli statu, atque constitutione, ne videremur diminuti docuisse fuimus coacti, & paucis perstringendo verbis dicimus, totam anni

con-

constitutionem fuisse austrinam, atque a naturali temperie singula tempora recessisse; Nam in autumno circa æquinoctium sub Vergiliis cœperunt spirare austri, Hyems austrina calida, & humida, Ver austrinum, cum paucis pluuiis, Æstas nubilosa sine aquis, & ex quibus licet terminare de hac constitutione, sermonem bifariam fuisse præternaturalem, primo ratione regionis, secundo ratione temporis eorumdem. Desero hic quæstiones illas inutiles de ortu, & occasu sydeium, de partitione, anni tempore, de qua infra; de modo, quo in hæc inferiora influant celi, atque astra, & de influentiis non pauca disputanda, ac differenda essent, nisi instituti operis limites transcederem, atque astrologico habitu viderer indutus; propterea illud solùm non præteribo demonstrare, quomodo numeratorum affectuum, atque symptomatum aeris peccatum fuerit in causa, idque ab initio fuimus polliciti, arbitror peccatum aeris in esse interdum essentiale, seu substantiale, non autem accidentale, id quod Hyppocr. sub ænigmate docuit primo Prognost. tex. 4. (siquid diuinum reperitur in morbis eorum addiscere prouidentiam,) quod sanè verbú, & antiquorum, & Neotericorum perturbauit scholam omnem; atque post multas recitatas a Gal. sententias, statuit tandem per diuinum Hyppocratem intellexisse cœli statum, seu aeris constitutionem; hæc habet Galen. in commenta. quarto nu-

numerato, neque arbitror de constitutione manifesta aeris fuisse loquutum, sed de recondita, abditaque nobis a cęlo in hæc inferiora demissa, quæ nos latet, atque infinitorum morborum causa censenda erit prima; & quamuis aliquibus videatur paradoxa doctrina, quomodo ex aeris constitutione liceat colligere prognostica, certa appellans Hippocrates (diurnum), nos autem cum Galen. asserimus, cum quo magis optamus errare, quam aliqua proponere noua dogmata, dicimus tamen cum eodem ambientis doctrinam, atque cognitionem cōferre multum ad morborum prognostica, quod licet breuiter ostendere; nam lib. de aer. aqu. & locis. de hac re multa docuit lib. de natura humana, in variis aphor. sed obsecro respondeant aduersarii, qua ratione tertianę æstiuæ sunt breuiores? rursus quare sub ardente sirio si mutatio fiat cęli Roma, Neapolim, & incidat aliquis in febrem, vndenam pendet cognitio prauitatis eius, non nisi ex diuino in aere concluso, sed de hac re obiter, & breuiter; infra enim fusius disputabitur sed tempus est me iterum ad mutationes aereas conferre.

De

De Vitiato Aere, deque generibus eius.

Cap. XV.

SI substantia aliqua reperitur, quæ impressiones recipiat alienas, queque oppositis induatur formis, est aerea substantia, quæ, & vapores, & exhalationes, facili negotio recipiens, & alteratur, & corrumpitur, immo supremis lationibus sit subdita, facili negotio influxus recipiens, infinitorum, ac vniuersalium morborū censenda est causa, sic placuit Fernelio de abditis rerum causis. Verum quia nihil citra Męthodum profiteor, propterea vitia aerea, vel referuntur ad corpora corruptibilia, vel referuntur ad astra; si referuntur ad astra, & cœlos; vel proueniunt occulti morbi, vel manifesti; si manifesti, ab intemperie aerea elementali; aut a motu solari accedente, aut recedente a nobis, sic videmus morbos adęquatos temporib. anni variis, & vt placuit Aristoteli Auer. & Philosophis antiquis sole accedente ad nos fieri generationes, recedēte vero fieri corruptiones; nam agente sole, motu, & lumine, vt primo cęli 42. Aristoteles derelinquendo configurationes varias, de quibus infra, certum est solem varia mista generare animata, inanimata, perfecta, imperfecta, foxilia, mineralia, deniq; quæ sub ambitu cęlesti collocantur

tur

tur, ea omnia ab vna simplici, ac nuda solaque actione solari dependent. Desero vanas reflexiones, desero varios circulos obliquos, & rectos, per quos mouetur sol, denique accessus, & recessus omnia generat, & corrumpit.

Præter motum, & lumen a Sole, & astris dependentia hæc omnia, a quibus variç imprimuntur actiones aereæ, assignarunt multi philosophi influxus, quos apud Aristotelem semper esse negandos iudicaui, & præter rationes varias influxus, aut substantia, aut accidens. Si substantia, aut corporea, aut incorporea. Si corporea, proculdubio daretur penetratio corporum vsque ad hæc inferiora: si autem incorporea, & tanquam spiritualis substantia, quomodo communicabitur inferiorib. corporibus, quidnam erit deferens hanc facultatem influentem? desero mixta infra aquam existentia, quomodo, qua ratione talis influentia, aut non destruatur, aut remittatur ab elemantali, aqueo elemento; sed de his satis, vt supra innui; ad rem ergo deuenientes, aut morbi qui oriuntur, aut dependent ab occulta proprietate, & causa: hæc autem esset sola siderum vnio, & oppositio; sic videmus occultos oriri morbos, atque sub vno tempore vagari, sub vna regione, qui sub alia regione neque apparent, nec vagantur, sic experientia comperimus quotidiana apud partes Italiæ varias, morbillos, & variolas apparere: infinitos necare pueros, qui sub alia re *Negātur influxus.*

I gio-

gione, & tépore non apparent, sicut videmus in insula Trinacryæ longe differentes apparere, ac vigere morbos a Regno Neapolitano; rursus alii morbi vagantur salubres, alii vero insalubres, & læthales, pendet autem salubritas & insalubritas ab occulta, nobisque immanifesta causa; quare concludendum cum Hypp. 1. Prognost. 4. hoc esset illud diuinum appellatum in morbis, videlicet cœli statum, & aeream constitutionem variam, a qua & morbi cognitio, & certum oritur præsagium, & Fernelius, quem post Galenum neminem veneror præter ipsum lib. suo de abditis rerum causis, statuit, occultos dari morbos ab occulta causa dependentes. Quare dicimus, aerem alterari a supremis causis, videlicet a cœlis communicantibus morbificam, & venenosam malam qualitatem aeri. Vitium ergo aereum; aut erit elementale, aut cęleste; si elementale, aut a vaporibus, & exhalationibus; si a vaporibus, & exhalationibus, aut natura similibus, aut contrariis; sic videmus aerem calefacere exiccare, humectare, refrigerare.

Hyp. quid per diuinũ intelligat in morbis. Gal. opin.

Aut exhalatio est inimica vitæ, & naturæ; si inimica vitæ, bifariam, aut extinguendo, & suffocando calorem, aut distrahendo, illumque diminuendo: sic videmus exhalationem cadauerum, fluminum, stagnatarum aquarum, facili nogotio calorem vitalem vna cum spiritibus obruere; sicut experientia nos docet quotidiana, foueas frumenti

Occulta qualitas peccãs in aere demõstratur.

repente apertas homines ſuffocare, aut aer inimica homini qualitate induitur; ſic obſeruamus in peſte, quod homines expirant aerem corruptum, ac vitiatum, eos omnes perire labefactata cordis ſubſtantia, corruptis humoribus cordis, vitali calore diminuto, eoque extincto, qua ratione Gal. ſecundo de nat. hum. comm. 4. docebat, quod exiſtente corruptione aerea, quam corruptionem non in qualitate, ſed ſubſtantia, & proprietate inimica naturæ obſeruamus in duobus, aſſerit Gal. debere medicum inſiſtere, videlicet primo mutat cœlum, ſecundo loco, vt parum inſpiret; quo fit, vt obſeruans Galen. tantam pernitiem, poſſe afferre peſtilens aer, iubet paucam debere eſſe reſpirationem, quamuis alibi contrarium doceat, vt lib. 3. artis med. tex. 11. quo loci qualitatis meminit aereæ quantitate derelicta, de qua re alibi fuſius diſputabitur a nobis, quamuis in publicis lectionibus me diſputantem fuſiſſime pluries audierunt diſcipuli.

Tex vnde cimus 3. lib. artis medicinalis Gal. declaratur.

Ergo in aere peccatum, ſeu vitium, a propietate materiæ dependens, quaſi vellet docere Gal. collocari in aere aliquid occultum; occultum autem appellatur vitium ſubſtantię aereæ, neque multum immorandum in hac oculta proprietate aerea; nam Gal. lib. de The. ad Piſ. 8. dari aſſerit prauam in aeræ mutationem; & mutatio, corruptionem ſupponit, ſeu putredinem; ſequitur ergo fieri in aere corruptionem, nō autem mutationem; elementum

ſiquidem aereum, vt alias docui, propter ſui raritatem, loci conſtitutionem, qualitates primas, & ſecundas dominantes, & vapores, & exhalationes recipit quam plurimas. Rurſus dari morbos aereos à tota ſubſtantia pendentes, idem Hipp. 1. Epid. comment. 3. docet, & Gal. 3. art. med. tex. 5. dum coinquinamentis, atque vaporibus repletur variis.

Pro peste remouenda, ignis ab Hyppo. laudatus. Accedit his omnibus medendi norma, atque methodus, quandoquidem varia documenta requirebat Hyppoc. in Aethiopia, vbi aderat peſtis, græcos inuadens, vbi per totam vrbem iuſſit Hyppoc. ignem accendi, vt aer purior redderetur ab omni excremento, & labe ſeparatus, tenuior aptus natus magis ad ſpiritus animales, & vitales reſtaurandos, alterandos, nutriendos, qui oppoſiti effectus obſeruantur ab aere coinquinato.

Neque credendum erit, mutationem aeream eſſe illam, quæ ſupponit corruptionem aeris degenerantis, aut in ignem, aut in ſubſtantiam alienam; ſed per corruptionem aeris intelligendum eſſe illam, quæ eſt in aere, mutationem, quæ ſit inimica vitæ, exiſtente eadem ſubſtantia aerea, ſed quæ exhalationibus, & fuliginibus ſic adeò repleta, atque ſi inſpiretur calori, & vitæ, eſt prorſus inimicus idē aer, quæ omnia eſſe veriſſima cum Galen. paulo ſupra demonſtrauimus, & inter omnes ſcriptores *Altimarum laudes.* Altimarus tractatu de peſtil. febr. cuius opera ſunt adeò illuſtria, ac præclara, vt primus omnium de

febri-

febribus, ac morbis iuxta Gal. dogmata præclarissimus extiterit, vigentibus ea tempestate Arabicis doctrinis; immo audebo dicere toties fuisse edita opera Gal. quoties opera Altimari, ex quibus, & doctrinæ claritas, & non exiguus labor, saltem in congerendis rebus inspicitur.

De effectibus pernitiosi Aeris.

Cap. XVI.

QVos vero pariat effectus venenosus, ac prauus aer, postulat declarare; effectus, qui pendent ab aere coinquinato, aut pertinent ad calorem vitalem, aut pertinent ad spiritus.

Si ad calorem Vitalem, tunc Methodo diuidentes dicamus, interdum erisipelari, vt Gal. videat vti verbo 3. de presag. ex pulsf. c. 4. euenit autem id ab intenso gradu putredinis, ab aere corrupto, atque putrescente dependens, aut a putredine aerea intensa attracta, atque suffocata, non secus ac ignis ex lignorum copia viridium obrutus, diminutus ac veluti extinctus obseruatur; aut in consortium humido compatiente caloris adęquato subiecto trahente consortium subiecto primo; humidum autem subiectum caloris aut augetur, aut dissoluitur sicut omnibus accidit mixtis; primo loco fieri humidio-

ta, tandem degenerare in terram, ac cineres, vt placuit Aristot. vt 4. metheor. putrescit siquidem sanguis vitalis cordis, qui ventriculis eius continetur, aut dissoluitur sibi amico, ac familiari dissoluto, sicuti sudores diaphoretici, itá appellati, ostendunt, sicuti calore vitali iam labefactato, atque extinctioni proximo, humidum radicale dissoluitur; quare breuibus perstringendo verbis vapor prauus ex aere corrupto dependens, labefactando, quæ in corde, quæque in tota vitali parte, ac circumferentia continentur diffusaque labe praua in sphæram corporis totam, quæ ope spirituũ vitalium, & symptomata obseruamus lœthalia & repentinas mortes oriri, vno primo vitali principio affecto ex aeris vitio, atque peccato trahente originem, eademque philosophandi ratione dicimus de spiritibus vitalibus, qui aut putrescunt, aut corrumpuntur a vaporibus infectis, calignosis, humidis, naturæ humanæ inimicis, vitæ, seu visceri vitali oppositis; maiora dicerem nisi tractationis meæ transcenderem limites, deque re hac, & Fracastorius, & scriptores omnes consulentes sunt locupletissimi; satis sit, quæ ad tempestates pertinere videntur, quæque morborum genera originem trahere videbantur a variis aeriis constitutionibus intemperiebus ac vitiis, de quibus satis me demonstrasse arbitror.

Fracastorij laudes.

CON-

CONSTITVTIONIS Secundæ

Vera Hyppocratica descriptio eiusdemque Declaratio.

SAtis, superque enodasse arbitror, quæ ad primam cœli constitutionem spectare videntur; quęq; morborum genera super orta, eorumque causas rimari, atque vitia omnia aeri contingentia, ea, qua potuimus, methodo, induimus, vt inde facillimus dicendi possit patere additus: diuini senis verba legamus.

Quæ fuerit ab Hyppocrate secundæ Cæli constitutio quæve intemperies in aere viguerit, atque morbo epidemialium causæ. Cap. XVII.

HYppocratis verba hæc sunt, in thaso ante autumnum frigora intempestiua, spirante Aquilone, hæc autem durant vsque ad Vergilias, & vsque ad occasum Vergiliarum, hyems Aquilonia, imbres multi, largi niues, cœlum procellosum, nubilum; Ver Aquilonium, frigidum,

„ dum, nubilosum, pluuium; æstas vero multum
„ feruida, æthesiæ spirarunt, mox circa arcturum spi-
„ rante Aquilone per multum pluebat, cum totus
„ fuisset humidus annus, & frigidus, & Aquilonius,
„ per hyemem fere commode habebant; at sub ver
„ multi, adeoque plurimi laborabant: primum igitur
„ cœperunt lippitudines manantes, dolorificæ, hu-
„ midæ, crudæ, lemiæ paruæ erūpentes, multis ęgræ,
„ plurimis redibant, tandem sub autumnum recesse-
„ runt æstate, & autumno lienteriæ, disenteriæ tenes-
„ mi, alui fluxiones, biliosæ tenues multæ crudæ
„ mordaces nonnullis etiam aquosæ tenues, multæ
„ mordaces, multis præterea effusiones dolorificæ bi-
„ liosæ, ramentosæ, purulentæ cum stanguria con-
„ iunctæ) hæc, & alia docet diuinus Hypp. in illa
„ constitutione, quæ gratia breuitatis prætermitto,
„ ne uideamur in tertia constitutione eamdem Pali-
„ nodiam cantare; ad rē ergo deuenientes, ad consti-
„ tutionis secundæ verba enodanda me confero; con
„ cludit Hip. in hac constitutione, totū annum fuis-
„ se Aquilonium frigidum, & humidum, atque
„ tempora inchoante vere, cœperunt apparere mor-
bi; hęc habet Hippo. & multa alia in hac constitu-
tione; Verum ne videamur instituto deficere, li-
ceat nobis pro intelligentia dicendorum, atque
pro constitutione intelligenda, nonnulla notare;
& primo quænam fuerit natura temporis ea tem-
pestate vigentis, propterea nihil recedentes a prio-

ri docendi norma, eamdem insequendo methodum multa præstabimus.

Constitutionis secundæ declaratio.

COepit erga cœli constitutio Aquilonaris intempestiua, frigora ante Autumnũ, Aquilo spirauit, quæ usque ad occasum Vergiliarum, & sub Vergilias perdurarunt; pro cuius tex. intelligentia multa arbitror animaduertenda, & in primis Aquilonarem constitutionem fuisse frigidissimam, quæ sane constitutio perdurauit vsque ad Vergilias; cępit ergo hæc ab autumno ab inæquali tempore. Autumnus autem dicitur esse tempus frigidum, & siccum, sed magis licet appellare tempus inæquale, propterea quod sub vna, eademque die calor, & frigus eodem tempore percipitur, habetque tempus hoc tres, in quas diuidi potest, partes, primam, secundam, & tertiam; Prima æstatis, a qua recedit, secunda Hyemis, ad quam accedit, tertia vero sapit naturam propriam, de qua re locupletissimus legitur Hipp. & Gal. 3. Aph. 9. & sparsim alibi, vbi acutissimos dicit in autumno apparere morbos; propterea pernitiosa, ac præternaturalis cępit constitutio ab autumno; parit autem huius temporis natura prauos effectus; primo propter eius inæqualitatem, & incõstantiam vnius diei; propter oppositas, quos percipit homo qualitates, atque

Intelligentia tex.

adeo natura ad contraria distrahitur.

Secundo, quoniam tempus æstiuum præcessit, in quo multi humores fuerunt assati; tertio propter viriũ iacturam, patiente natura a feruido calore æstiuo præcedente; quarto, quoniam præcedente tempore æstiuo, mouebantur ad cutim succi; nunc vero intus impelluntur ad viscera, & per consequens intus detrusi putredinem concipiunt maiorem; frigora .n. apparuerunt Autumno sub tempore inæquali, atque illa fuere intempestiua; hyeme verò adhuc apparente, frigiditas cum siccitate coniuncta, debet esse vera Autumni essentia, quæ temperies si recedit ab hac, est causa infinitorum morborum; Subdit, quæ vsque ad Vergiliarum occasum, & sub vergiliis perdurauit: de ortu, atque occasu syderum multa a me essent docenda, nisi Phisici Medici limites transcenderem, propterea prout docendi ratio expostulat, satis pauca per capita, & conclusiones, nihil tamen prætermittendo intactum, cogor deserere.

Per vergilias primas, intelligendæ sunt quædam stellę quæ a Gal. appellantur Pleiades, primo epid. comm. primo com. primo constitutionis secundæ, comm. secundo. Pleiades autem sunt septem stellæ in dorso Tauri, quarum hęc sunt nomina, vt Fusius 3. aphoris. 14. vtilissimę autem sunt stellæ, quæ ad nauigationes conferunt multum; appellantur autem ab aliis scriptorib. Atlantides, quasi verò Atlantidis.

Stellæ virgiliæ, seu pleiades.

tidis.

tidis sint filiæ; a Latinis verò Vergiliæ dictę, quoniam die 19. Aprilis nascuntur, deinde paulopost ingreditur Sol Taurum, per Arturum intelligimus occasum Pleiadum, quæ mutatio fit Mense Octobris, atque vt vtar verbis Galen. primo epid. comm. secundo com. 2. Vergiliarum occasum finire Autumnum, antea docuimus, hæc sunt verba Gale. vt autem deueniamus ad nomina supra allata a Fusio loco cit. 3. aphor. sunt autem septem nomina Maia, Taygetel, Cęleno, Merope, Electra, Sterope, Alcione; sed exposcit rei, de qua agitur, doctrina, nõnulla de anni partitione proponere, quam nisi Gal. tetigisset, silentio præteriissem tamquam rem sanè omnibus notam.

De temporibus Anni breuis discursus.
Cap. XVIII.

TEmpora Anni non apud omnes sunt quattuor, sed apud quosdam sunt octo, vt accidit habitantibus sub Equatore, nam in eadem Solis reuolutione competunt duæ æstates, cum Sol bis transit per uertices eorum; similiter duę hyemes, cum Sol bis maxime recedat ab eis, & quattuor alia tempora intermedia respondentia duplici Autumno, & duplici veri; distinctionem autem veram quattuor anni temporum sortiuntur illi, qui

incolunt eam terræ partem, quæ mediat inter Tropicum, & Paralellum, & Borealem, vt nos, vel Australem, vel Antipodes.

De principio tamen apud omnes non conueniunt scriptores Astronomi ad Cęlum referentes: considerant enim quattuor Zodiaci puncta, quæ cardines vocant, cum in eis fiat permutatio, adeo quod punctum Æquinoctii, quod est principium Arietis, sit principium veris; pūctum solstitii, quod est principium Cancri, sit principium ęstatis; primum punctum libræ in æquinoctio Autumnali, sit principium Autumni, solstitium libræ, sit principium Capricorni.

Principium capricorni sit principium hyemis.

Alii putant relata quattuor puncta non esse initia, sed media anni temporum; adeò, vt initium veris sit in medio Aquarii, Aestatis in medio Tauri, Autumni in medio Leonis, hyemis in medio Capricorni: hæc habent moderni, quorum relata refero: alii antiquiores de temporibus anni varia docere videntur, vt si dicamus cum Hyppocrate diuisa esse anni tempora in septem partes; nam æstatis tempus, ad Canis ortum ostenditur ad decem, & octo Calendas Iunias, cum scilicet Sol in quarto gradu Cancri immobilis constiterit, quando scilicet prima Leonis, sydera, quorum vnum in narium extremitate, alterum vero circa os, inde consequutæ fuere differentiæ ortus canis, propter

pter duas stellas, quarum vna appellatur canis maior, altera canis minor; syrios, a græcis appellatur stella in ore canis canicula dicta, ergo canis ortus seu syrion dictum, sequitur vsq; ad ortum arcturi; insequitur opera, seu fructus fugaces; quos autumnus insequitur integer, atque hiemale tempus accedendo in tempus; quod est solstitium, vt id quod præcedit, & ad quod sequitur, sit tempus sementationis, tempus infarctionis, tempus medium; nam neque tempus veris, neque autumni secatur, nam Ver duos habet menses inter arcturum, & ortum Vergiliarum: Nam inter arcturum, & ortum Vergiliarum intercedunt dies si circiter.

Multi tamen sunt, qui assignant, ac diuidunt tempus Hyemis in quattuor, vel plus, sicut accidit in regionibus frigidioribus, sed in temporibus non est diu immorandum, præsertim cum pollicitos limites medici transcendere videar, de qua re medici astrologi sunt legendi, vt Fusius, Cardanus, & alii, super Aph. sub cane & ante canē: sed hæc de mente aliorum; nostri tamen instituti scopus fuit præfixus phisicas de re medica exaggitare questiones: quę vero inuestigationem exposcunt alienam, ipsi videant, prę sertim cum ipse non profitear cognitiones Astrologicas altrorum, in quibus fateor me esse parum versatum, sed in hac re relata refero: cognoscētes ad medicum parum satis conferre memoria cōtinendo ea, quæ a Manardo viro doctissimo *Manardi laudes.*

mo

mo in Epistolis continentur:melius erit in morbis intueri lotia, quam astra contemplari: diligens siquidem medicus rimatus magis causas internas, quam externas, magis immediatas, quam mediatas, magis uicinas, quam longinquas, magis agentes Phisicas actiones internas; quam externas: magis agentes immediatione suppositi, quam immediatione virtutis, a quibus, & medendi via, & norma, & tempus desumuntur omnia; clarè colligitur externas, & cælestes esse negligendas, deponendas, ac paruifaciendas; internas verò constantes magis summo cum iudicio esse obseruandas.

De Lunæ Mutationibus.

Cap. XIX.

DE Lunæ tamen mutationibus ipsi contingentibus, non esset præter rationem aliqua docere, prȩsertim cum Gale. legamus multiloquum lib. de diebus decretoriis; duȩ insignes mutationes Lunæ contingunt, quatenus a Sole, aut inferiori, aut superiori illustratur, quarum altera est in solis congressu; altera verò cum ex Diametro ab ea distat: prima mutatio, nihil luminis in hȩc inferiora eiaculatur: quando sub Sole delitescit, vocatur hic congressus coitus; deinde nouilunium consequitur, quod durat trium dierum spatio;

deinde

deinde in 4. die veluti ex coitu solis, egressa foras liberá faciem tanquam pudore effusam cũ ostendere nõ audeat se totã, sed falcatã semper ostendit effigiẽ, deinde die septima sumit incrementum; quæ cum medium iter confecerit à Nouilunio ad Pleniluniũ vsque scilicet circuli totius quadrantem, non immeritò dimidiam faciem nobis ostendit illustratam, rursus die vndecima tota fere est illuminata, exigua tamen remanente portione; quare tota gibero videtur deformata; ex quo nomen etiam dissimile adinuenit, qua propter curua apparet vtrinque, tamen die 14. ad quem terminum duæ septimanæ perueniunt, ac terminant, & sic libera facie nobis se se ostendit Luna.

Verum post Plenilunium rutilantem illum splendorem ad Solis progressum properat, idest apparitiones, aut facies ostendit: nam die quarta sequenti fit; qualis die vndecima extiterat; rursus die tertia septenario postea, deinde paulatim decrescit quousque cum Sole iterum coeat; ex quo docere videmus effectus varios in morbis acutis dependere a Luna: nam die 4. 7. 11. 14. validissima accidunt iuditia, quoniam sunt termini acutorum morborum; similiter videmus in anno quattuor insignes mutationes Hyemis, Veris, Aestatis, & Autumni: hęc de Lunę mutationibus phisici non transcendendo limites.

Verum satis spatiati fuimus de temporibus anni,

tum quantum ad philosophos, tum quantum ad astrologos, quibus parum credendum, vt alibi demostrabimus.

Quæ morborum genera peperit secunda Cœli constitutio. Cap. XX.

EA est anni temporibus innata conditio, vt propriam sortientia naturam, sibique debita temperamenta, tantum abest vt corporibus humanis obsint, & aliquid mali afferãt; immó vero salubris causa censenda sit bona, sic placuit Galeno lib. 1. Epidem. commentario 2. comm. 5. aquilonaris totius anni tempestas statum omnem turbauit cum imbribus, procelloso existente Cœlo, & nubilo, mirum non fuit, si corpora perpetuo tempore apertione pororum gaudeant, tunc facta est obstructio magna in poris, existente statu aquilonari frigidissimo, & siccissimo; Ventus ad intimas quascunque partes permeans, quamcunque materiam siue humoralem siue excrementitiam intus impellens, flante tamen borea magnæ acciderunt in poris obstructiones, & per consequens morborum genera ac differentiæ variæ; scimus siquidem calidiorem aerem attrahere, aperire, digerere, dissipare, aut in alitus, aut in excrementa; sic videmus, salubriora corpora degere, difflante corpore per poros cutis; quod si densiora reperiantur corpo-

ra, excrementorum colluuie coaceruata ab aere constipante poros, tunc deteriora obseruantur illa vt Hyppocrates. hæc volui insinuare pro dicendis.

Series morborum in secunda tempestate vigentium. Cap. XXI.

1 Lippitudines dolorificę.
2 Estate lienterię, disenterię, tenesmi.
3 Febres continuę, paucis ardentes:
4 Tertianę erant grauiores ardentibus.
5 Quartanę incipientes, quartanę consequentes.
6 Pueri conuulsionibus tentati.
7 Obscessus in quartanis fiebant.

Sympthomatum numeratio, atque series:

Tandem docendi normam insequentes, eodemque vtentes stylo, sicut in prioribus, liceat narrare, quæ fuere morbos concomitata sympthomata, eaque recensere diligentius, quam hucusque recentiores, qui scripserint, aut Hyppocratis verba oscitanter fuerunt commentati.

Sympthomata vero hæc fuere.

1 Vomitus biliosus crudorum ciborum.
2 Sudores multi.

3 Extremitates frigebant.
4 Vigiliis, & sopore rursus detinebantur.
5 Stranguria multos a periculis vendicabat.
6 Humorum decubitus ad articulos.
7 Vrinarum copia cum crassitie, rubore, & purulentia hæc & alia apparuere sympthomata, ea tempestate vigentia.

Morborum, ac sympthomatum breuis causarum inuestigatio. Cap. XXII.

ATque ex lippitudine dolorosa exordiendo cum Galeno, lippitudo ophtalmia a grecis appellata iusta Galeni doctrinam lib. de differentiis morborum 13. est inflammatio mẽbranæ, quæ ceradridæ tunicæ adhæret, & de partibus artis medicæ cap. 3. Gal. idem docet primo de causis sympth. c. 2. ex quibus locis, & similibus colligitur tunicæ agnatæ esse inflamationem, quæ a tunica ossis capitis, & caluariam ambientis originem trahit, vulgus autem appellat coniunctiuam.

Quare vero appelletur ab Hyppocrate dolorifica lippitudo.

Respondetur, tum quia oculi erant verberati a Ventis frigidis, & propterea facili negotio oculos fuisse tentatos, sed adueniente humiditate, & diuturna causarum fluxione simul cum tristi sensatio-

nè, seu cum dolore coniuncta; quod Hyppocrates sub verbo illo declarauit, erant crudę, innuens temporis diuturnitatem.

Sed hic licet dubitare cum Aristotele quarto Topicorum, cap. 4. vbi statuit febri, & ophtalmię nihil est contrarium: ergo non poterant lippitudines recta methodo curari.

Respondetur, textum Aristotelis loqui de virtutibus, & vitiis, atque disparem esse philosophandi rationem inter virtutes, & vitia, febres, & ophtalmias; propterea quod singulis vitiis sunt sibi oppositæ virtutes, aliter de febribus, & ophtalmiis, cum non habeant species contrarias, & genera. Quare concludendum Autumnali tempore, existente cõpresso cerebro a frigido, more manus comprimentis spongiam, aer summe frigidus oculos debilitãs, lippitudines genuit, existente eodem aere nebuloso, ac frigido, quam doctrinam Hyppocrates 3. aphoris. 14 repetit, & eandem libro de aere, aquis, & locis proponit doctrinam. Ad hæc æstate lienteriæ, disenteriæ, tenesmi, quorum sanè morborum facilis reddenda est causa propterea, quod facta pororũ constipatione ex ambiente frigido, humores cæperunt intus computrescere, atque ea fuit natura ęstatis, aut per secessum, aut per sudores, aut per aliam regionem excrementa intus retenta ad secessum, ad intestina detrusa, disenterias, & fluxionum genera peperere varia.

Dices, vndenam tot fluxionum genera & excrementorum fuerint orta? Respondetur cum Gal. lib. 1. de morbis vulgaribus commentario 2. tex. 6. id prouenire ex uario corporum statu; etenim quibus iecur erat infirmum, vnum genus fluxionis oriebatur; quibus imbecillum lien alterum, quibus Venter, intestina, denique varie humani corporis partes, variis affictę intemperiebus, non est mirum si varia, ac differentia excrementorum genera excipientes etiam in insula temperatissima, sicut in tapsia varia oriebantur morborum genera, decumbente scilicet succo ad os ventriculi vomitiones, superfluitatibus decumbentibus ad intestina disenteriæ, tenesmi, eademque philosophandi ratione ad vesicam stranguria, & purulentes interdum oriebantur mictiones.

Quare concludendum cum Galeno non fuisse aerem generationis causam horum humorum; sed mauis dicere causam coaceruantem propter frigidũ statum poros constipantem, & non calidum; siquidem calidi effectus est rarefacere, aperire, discutere, difflare, & tandem quicquid in habitu corporis reperitur, euacuare; quos sane oppositos affectus status aquilonaris frigidus genuit omnis, sed tempus erit me conferre ad tertium morbi genus.

(Febres continuæ paucis ardentes.)

Affectus hic tertio loco propositus ab Hyppocrate, est consideratione dignus, propterea quod

vaga-

vagabantur continuæ febres paucis ardentes; ſcimus enim ex Galeno diſtingui febres ardentes à continuis: loco etenim minera ardentium eſt inter ala, & inguina; continuarum vero minera in venis minoribus concluſa.

Rurſus putreſcit, in ardentibus humor in venis magnis quantum ad febres, vt 4. de acutis in primis textibus.

Qua vero ratione pauci detinebantur febribus ardentibus, clariſſima eſt reſponſio, propter tempus anni, contra indicans; ſcimus enim ex Galen. 4. aphoriſ. 4. rarò hyeme flauam bilem abundare; immo ea eſt natura humorum, vt debitis temporibus debeant facere ſympthomata ſibi adæquata; nam tempore anni calido æſtiuo ſemper abundat bilis, ſicut in aliis temporibus differentes humores. Quare concludendum ſpirante aquilone habitum corporis refrigerari, inde ſecuti ſunt morbi adæquati, atque doctrinam hanc verbo Galenico, præcludendo dicimus, ſqualidum, calidum, & torridum fuiſſe; propterea quod multæ viguiſſent ardentes febres, quæ non apparuerunt propter rationem aſſignatam.

(Tertianæ erant grauiores ardentibus)

Verba hæc, quæ ſubdit Hyppocrates; & difficultatem, & doctrinam ſapiunt difficilem: ratio autem dubitandi eſſe dicitur, propterea, quod vnde tanta vis, atque in tertianis vigor agendique vehementia,

An tertianæ sit grauiores ardentib. dubium proponitur.

vt grauiores, & numerosiores ardentibus dicat Hyppocrates. de frequentia tertianarum, non miror, sed de vehementia, agendique potentia maiori, posset in dubium reuocari; quę sane doctrina verissima esset, atque dubitatio nō exiguum, sed amplissimum haberet campum, nisi Galenus fidelissimus Hypp. interpres, multa de bilioso humore, eiusque generationis loco non fuisset commentatus, quę sanè mox erunt explicanda; videbitur autem multis paradoxa doctrina, rationalibus autem medicis, atque philosophis rationi, atque Hypp. adæquata nimis.

Biliosa substantia non vnum, sed multiplicem habet generationis locum; huius siquidem humoris tres esse possunt regiones, tresque loci, ac generationis officinę; aut enim in ventriculo, vt secundo prognost. 39. de bili porracea, quæ habet generationem in ventriculo, cuius origo est ex cruditatibus: aut generatio eius est in hępate, & venis, qui humor decumbit ad ventriculum; generatur autem hic ab igneo venarū calore; aut in tertia regione fit eius ortus, nempe in carnibus, qua in re parum immorandum propter empiricos hac tempestate vigentes, quib. paradoxum hoc videbitur, propterea rem aggredior difficilem explicandum.

Ea est natura carnosi generis, vt porosum cum sit facili negocio quicquid excrementosi generis ad partes illas detrudit, illud dissipant, aut expurgant, aut sensibiliter, aut insensibiliter, præsertim sudore:

sic

ſic videmus rigorificas tertianas ſudore ſanari, detruſo humore ad carnes, propterea Hyppocrates 2. aphoriſ. dicebat, quibus quotidie rigores fiunt, febres ſoluuntur; euenit tamē ſepiſſimè, ut carnoſum genus excrementa bilioſa detineat, ibique generantur, ac congerantur, atque ſtatu aquilonari repugnante, propter eius frigiditatem conſtipatis poris, bilioſus ſuccus in carnibus genitus, atque congeſtus putreſcit; inde tertianæ poſſunt apparere vehementiores ardentibus; quam doctrinā declarat Gal. lib. de rig. trem. palpit. cap. 7.

Verum vndenam tanta tertianarum vehementia, quæ ardentes febres in ſui natura ſuperaret? ſi enim ea eſt ardentium febrium natura, vt focum putredinis interulas, & inguinas, atque nobiles venas internas contineat, atque viſceri vitali communicatus calor febrilis ſimul cum vaporibus coniunctus focus oriatur intenſiſſimus, vndenam tertianarum ſuper ardentes febres dominium?

Ad hęc materię peccantis tenuitas, ichores ſiquidem cum ſint ſubtiliſſimi, iſtantanea veluti vi, atque modo excandeſcunt, inflamantur, putreſcunt, vt 4. de acutis Hyppocrates, & Gale. comm. primo, & ſequentibus docere videtur, qui ſane affectus, ſub diuturniori tempore, & fieri, & obſeruari aſſerimus, peccāte corpulenta ſubſtantia humorali; quo fit, vt dubitandi ratio ſit nimis rationabilis, quæ a prudenti Medico cenſeatur, propterea ad Galenum

de hac re philosophantem liceat recurrere.

(Tertianæ febres erant grauiores ardentibus) propterea quod excrementa biliosa, plus iusto aucta, atque in carnibus detenta, pristini effluxus impedimentum habentia, vehementiores fecerunt tertianas ardentibus febribus; verum prior ratio videtur esse magis efficax, quoniam bilis in carnibus genita, grauiores potest causare febres, quam si massa biliosa, aut sanguinaria tota esset putrefacta in venis; existente siquidem igne in parte carnosa, totus habitus corporis igneus apparet, ex quo calor effunditur vniuersalis ardentissimis, atque partes eodem suffusę calore, flammeæ apparent omnes, quasi vero cum ardentibus altercationem habentes, tertianæ febres in carnibus originem trahentes, vehementiores.

Sermo hyperbolicus Hypp. hic notatur.

Mea tamen est opinio Hyppocratem, & Gal. loquutos fuisse magis de frequentia, quam de vehementia, & fortasse hyperbolicum fuisse sermonem, quasi vellet dicere Hyppocrates, tanta erat in tertianis febribus vehementia, atque agendi uis, vt viderentur acutiores ardentibus propter constipatos poros, propter biliosæ materiæ impeditum effluxum; constipatio ergo pororum a ventis aquilonaribus fuit causata; excrementa intus coercuit, impedimentum eorum prohibuit, & per consequens bilioso succo in carnibus contento, atque cohibito suscipiente magnam putredinem cum caloris vehemen-

hementia, existente anni tempore æstiuo feruido, quod non potuit perficere venosum genus, totum tribuendum fuit carnoso generi; quare satis, superque satis me declarasse arbitror, bilem posse in carnibus generari, atque tertianas parere vehementiores ardentibus, & quamuis doctrina hæc primo occursu empiricis, & philosophia carentibus medicis paradoxa appareat, Hyppocratici tamen medici, atque philosophi verissimam hanc doctrinam affirmant omnes, neq; diu immorandum erit inter tertianas, & ardentes febres; scimus siquidem in via Galeni primo loco conuenire in causis. 2. distingui loco. 3. conuenire in medendi via, ac methodo. 4. conuenire in sympthomatibus, quamuis Galenus diligentius de ardenti febre philosophatus dicat, febrem ardentem habere sua signa pathognomonica, videlicet caloris vrentium, & inestinguibilem sitim, vt 3. Epidem. coment. 3. 34. docet, & de pleuritide, & disenteria asserit Galenus vt 5. de tuenda valetudine cap. 11. habere sua signa pathognomonica, eademque lege fuisse donatos morbos istos, aliter de aliis morbis dicendum, hęc mihi suppetunt pro intelligentia huius textus; in quo asserit Hyppocrates ardentes febres non esse acutas, de notis autem loquitur, non de veris repugnante anni tempore.

(Quartanæ incipientes, & consequentes)

Ea est natura quartanarum, vt a variis morbis homines vindicent, vt 6. Epidem. commentario 6. tex. vltimo, vbi habet, qui quartana corripiuntur, a maximo morbo non corripiuntur, sed ab aliis morbis liberantur; huius vero morbi causæ multæ esse possunt, primo loco melancolica natura, seu temperamentum, cuius officium est magnam melancoliæ copiam coaceruare; inde sequitur, vt venosæ genere hoc humore repleto, natura illum, tanquam superuacaneum reiiciat, febremque generet quartanam.

Consequentes autem quartanæ multas habent causas, aut enim sunt viscerũ obstructiones, præsertim lienis, aut frigidus, & humidus status, existente in corpore causa cruda, atque inconcocta; aut ex pharmacis præteritis, aut reliquiæ axatorum humorum, atque prolixarum febrium, quæ doctrinæ de quartanis, vt pateat omnibus, oportebit in memoriam reuocare doctrinam Gal. 3. prognost. 3. & 38. vbi habet Gal. generationem humoris melancolici fieri bifariam; aut enim fit ex sanguine crassiori habente proportionem vini in dolio, sicut „ fex; aut generatur ex bili flaua vehementer assata, „ subdit, hæc autem atra bilis malefica est, atque par- „ tes erodit, in quibus abundè collecta fuit, altera ve- „ ro mitior, quam hæc, sed potissimum, quoties non traxerit in animali moram; aut cum aliquo calore „ abundanti fuerit versata diutius: qua doctrina sic habita,

habita, paulo infra docet Galenus, quoties febris fue "
rit continua; si autem fuerit intermittens, sicut "
euenit in æstatis fine, in quartanam verti necessariũ "
est, & paulo infra in eodem commento docet, quar "
tanam fieri ex atra bile præcedente æstiuo tempore "
transeunte in Autumnum: immò docet cineres as- "
satorum humorum in corpore existentium, aut ex- "
calefactorum degenerare tandem in febres, & quo- "
niam atra bilis, aut mouetur, aut quiescit, aut putre "
scit, aut efferuescit, inde inordinatas consequi febres "
docet Galenus; immò datur proportio inter tempo "
ra anni, & ætates: sicut enim in tempore æstiuo in- "
calescunt humores, & ebulliunt, ita colligi necesse "
est atra bilarium succum, qui tandem in Autumno "
viget, quod tempus impedit difflationem illius, "
ita in ætatibus philosophari oportet; nam quicquid "
in ætate florenti viguit humoris, ita declinante illa "
excipitur atra bilarius succus, qua ætate vltima vi- "
get elephantiasis, cancer, lepra, atra bilis, febris quar "
tana: hęc sunt verba Gal. textus 38. 3. prognostico- "
rum, ex quo tex. colligitur, & vbi clara luce demon-
strat, febrem quartanam oriri, & dependere ab eo-
dem humore, a quo fit cancer, & lepra, qui textus
apud me semper fuit difficilis; etenim effectus can-
cri est exulcerare, erodere, diuidere; vnde est, vt talis
effectus in quartanis intermittentibus, non appa-
reat demandata atra bili ad carnes, in quibus vlcera
erodentia apparere deberent.

In quartanis apparuere abſceſſus) eodem textu diuinus docuit ſenex, propterea Galenus tanquam rei inſuetæ, conſideratione dignam proponit doctrinam, fac inquit memineris, quo modo vſurpetur nomen hoc abſceſſus in quartanis; propterea de re hac erit altius ſpeculandum, qua ratione quartanis accidat abſceſſus, id quod ſilentio pertranſiuit Valleſius proprio loco; etenim quartana cùm ſit morbus longiſſimus, qui a ſucco melancolico pendet, craſſo, lento, ac viſcido, vndenam abſceſſus oriantur? preſertim cum ſingulis quattuor diebus moueatur humor.

Inſuper quartanę liberant ab aliis morbis, vt ſupra docuimus cum Gal. qua ergo ratione tentatur abſceſſus.

Euentus ciſſi morborũ cauſa hic recenſentur.

Propterea ad Methodum redeamus. Morbi, aut Criſi terminantur pręcedente primo loco coctione materiæ, aut per abſceſſum, vt primo aphoriſ. 20. primo de Criſibus,& ſparſim Gal. ſi primum requiritur acuties morbi, ſecundo materię tenuitas, tertio viarum apertio, quarto naturæ robur, ac vigor; quinto coctioni materia obediens, hæc omnia propoſita ex natura rei deducta demonſtrabunt prudenti Medico, vel concoctione, vel aliqua uia euidenti materiam eſſe purgandam; quod ſi facultas fuerit debilis, præſertim expellens, extra ſpheram corporis non expellit, ſed ad partem aliquam decumbente humore abſceſſus oriuntur. Rurſus ma-

teriæ copia, craſſities, denſitas, quam doctrinam Galenus 3. prognoſt. 24. ex duobus pendere omnia aſſerit, videlicet, ex humore peccante in qualitate calida, vel frigida; præterea ex viribus debilibus, ad fortibus inepta: ergo natura ratione peccantis humoris cum ſit rebellis a coctione, cum ſit materia melancolica, deponitur a natura ad partem ſibi vicinam; ſic videmus exulceratas tibias ab humore ſalſo, & præternaturali.

Conuulſiones in Pueris.

De hac re non oportet pertractare, propterea quòd in opere meo laborioſo de morbis puerorum, videor locupletiſſimus, propterea adeant legentes ad prædictum opus; vndenam vero tot grauium ſympthomatum genera orta fuere? nunc dicam: etenim vomitus ea tempeſtate apparentes, fuerunt bilioſi, cruditatem tamen præſeferebant; quare non eſt mirum, ſi variegati apparuere vomitus; etenim pro bilioſis naturis, ac temperamentis; bilioſus etiã ſupernatauit ſuccus, ſicut de pituitoſis eſſet dicendum, quare iuxta varios humores abundantes fluentibus ſuccis crudis ad ventriculum, atque ſuperfluitatibus, vomitio apparuit cruda ratione temporis, ratione tempeſtatis anni, omnibus fluentibus infra.

De ſudoribus copioſis in illis non eſt multum immorandum, propterea quod ex humiditatum ſu-

perfluarum copia, grauata natura difficillimi sunt iudicii in primis morbi diebus, non leuantes naturam, præcipue si multi & calidi fuerint copiam demostrabunt, aliter de frigidis; peiores enim sunt cum acuta febre si fuerint coniuncti, cum mitiori vero morbi longitudinem demostrant, vt Hyppocrates 4. aph. 37. & 38. docet, neque diu est immorandum de causis sudoris frigidi vt infra luculentissime disputabitur.

(*Frigebant extrema.*)

Cuius sane frigiditatis causæ fusius a nobis disputabuntur in hystoriis, sufficiat tantum nunc scire, aut copiosos, & multos esse frigidos succos, aut insignis in visceribus fuerit conclusa inflammatio, ex quibus difficulter extrema incalescunt.

(*Vigilijs, & sopore rursus detinebantur*)

Soporum vero, ac vigiliarum causę dicimus, mistos esse vapores, propterea humido dominante sopores fiunt, atque oriuntur in cerebro, calido vero, & sicco vigilię consequuntur continuę vt 2. aph. 3. & 4. 3. epidem. coment. 3. 34. multos languentes delirare, & sopore detineri, propter mistum vapo rem, de quibus mistis sympthomatibus fusius in hystoriis disputabitur.

Vrinę apparuerunt varię crudę decolores, crassi tudine præditę, turbatę, nihil subsidentes, quæ vero subsidebant, erant pessimę.

Quæ

Quæ omnia arguebant, crudos humores ſcatere in venis, quorũ tanta videbatur eſſe copia, vt natura eo modo, quo potuit, expulit per eadem vaſa. Verũ de ſubſidentia vrinarũ, multa a me eſſent docenda, niſi hyſtoriarum narratio exquiſitiorẽ diſputationem, & exquiſitius docendi genus expoſcerent, propterea eo loci, examinanda arbitror quam plurima de vera, ac ficta vrinarum ſubſidentia; illud tantum ſufficiat pro huius textus examine, tantam fuiſſe humorum crudorum copiam, & ſuperfluitatem, vt per omnem regionem, quo potuiſſet natura tentando expelleret. quam doctrinam cætera ſympthomata confirmant, etenim articuli facili negotio humores alienos cum exciperent, tumores apparebant in articulis, quę omnia vitio, & plectoriæ, & cachochimiæ contigiſſe arbitror, quibus accedebant vrinarum multitudines, & craſſities, & varietates deponente corpore, ac vigente, expellente facultate ad varias humani corporis partes, quæ omnia ſympthomatum genera numerata, quoniam naturæ expellentis robur demoſtrabant, concludit diuinus ſenex tex. 42. neminem periiſſe, atque omnes fuiſſe ſuperſtites, hæc de ſecunda Cœli conſtitutione ſane ſalubri: cætera ſilentio pertranſeo, & confero me ad tertiam tempeſtatem examinandam, gratia cuius prima pars proponitur a me epidemialium obſeruationum diſputanda, & examinanda.

Con-

Constitutio tertia proponitur, etc. Cap. VXXII.

TErtius proponitur status, qui propter sui inęqualitatem, temporũ inconstantiam, flantium ventorum diuersitates, sub variis stellis, seu sideribus, sub vario cœlo interdum sub imbribus copiosis, interdum frigore vigente multum lęthales, ac pestilentes produxerit effectus, quorum morborum sympthomata omnia clariori stylo, quo poterimus examinando singula latiusque philosophantes gratia doctrinæ, spero prouintiam nostram nos perfecturos magis, quàm cæteri, qui ante nos illam tetigerint, eoque magis, quæ fuere examinata prius ad hanc tertiam constitutionem dirigantur omnia, immo vt censeo maiorem partem medicinæ præcludit, ex qua spero vtilitatem magnam legentes consecuturos; postulat ergo tractatio hæc tertia, vt textum proponamus, atque verborum seriem, vt inde colligenda ducantur.

In thaso paulo supra arturum, & ante arturum magni imbres spirante aquilone vsque ad vergilias imbres austrini frigidi venti, magnę niues, subdit ver Aquoloniũ, pluuiæ paruę, frigidę circa solstitiũ æstiuum, imbres pauci, magna frigora vsque ad Canem, post Canem æstas calida, ęstus magni sensum incalescentes, sed perpetui vehementes, nõ pluit, spirarunt Ethesię, circa arturum pluuię ad æquino-

ctium

ctium vsque vernum austrinę. hęc habet Hyppocrates, circa tertiam hanc temporis constitutionem.

Si qui morbi ab Hyppocrate fuere propositi, & experientia antiqua potuit obseruare illos ab hac tertia constitutione, & pendere, & oriri diuinus dicit senex, propterea quod talis, ac tanta fuit temporis inęqualitas, ac si totus annus fuisset autumnalis apparens: scimus enim in Hyppocratis doctrina inter omnes partes anni, autumnale tempus esse omnium partium inęqualissimum, vigente modo calore, modo frigore modo flante vno vento, modo altero, interdum occlusis poris corporis, interdum apertis, desero errores eo tempore commissos vt paulo supra docuimus, propterea de hoc statu inæquali, lęthalium omnium morborum causa potissima, & adequata nimis, & diu, & latius, a nobis erit philosophandum, atque exordiendo ab aquilone spirante, sub quo pluuias contingisse multas, & magnas docuit Hyppocrates, atque post pluuias contrarias præcedenti constitutioni consecutas fuisse aeris intemperies autumnales, atque, vt Galenicis videar vti verbis pro Aquilonio statu, Austrinum fuisse, pro pluuioso, paruas habuisse pluuias, post pluuias hyemem consecutam fuisse Aquilonarem, & siccam, qua propter in hoc statu magnam fuisse temporum inęqualitatem, & sub Cane, & ante Canem, & austrinos, & magnos, & aquilonarios ęstus,

deinde imbres, quapropter concludendum cum Galeno totam anni constitutionem fuisse pernitiosam. Textus hic duplicem sapit partem, & astrologicam, & medicam; de astrologica paulo supra ex parte disseruimus iusta placita scribentium. De medica vero nostro proposito satis accommodata, non pauca à nobis erunt disputáda, partimque theoricalem supponunt disciplinam, partim vero, quę indiuiduorum obseruationem præcludunt.

Verum antequam ad morbos horum temporũ declarandos deueniamus, liceat dę constantia, & inconstantia temporum aliqua docere; de hac Hyppocratem legimus locupletissimum lib. de aere, aquis, & locis, 3. aphoris. 8. intelligimus autem cum præceptorib. tempora constantia, quæ ordinatam suam seruant temperaturam; secus vero de inconstanti tempore: dum temperies singularum partium non obseruatur, inconstantia dicuntur tempora, immo vero inditia fieri difficillima pernitiosa cum recidiuis, appello difficillima propterea, quod cum casibus periculosis, ac sympthomatibus sunt pernitiosa propter imminens vitę periculum, ac virtutis collapsum, semper vigentib. pernitiosis morbis propter temporum inconstantiam, propter varios, & oppositos peccantes humores, propter difficiles crises, & inditia, denique status inconstans est apprime periculosus, propterea quod facili negotio in recidiuam incidunt: tria ergo timenda sunt in inconstantibus

temporibus. Primo periculosa, & mala inditia, seu Crises. Secundo pernitiosi, qui contingunt euentus morborum. Tertio recidiuę in illis; etenim coctiones, aut non fiunt, aut sunt apparentes in morbis inconstantibus, & si quando natura aliquid tentauerit expellere, expulsio illa erit sympthomatica, non critica, & iure merito in illis recidiuę seu morborum reditur expectantur.

Morborum series ea tempestate vigentium.

Cap. XXVIII.

Hyeme paraplegię, ex quibus multi subito perierunt:

Ante ver febres ardentes multi superstites fuerunt, pauci peribant.

Regio morbo erant multi sexta die affecti;

Mulieres vtero gerentes, aut languidę fuerunt, aut in grauem partum inciderunt.

Moriebantur multi a partu.

Disenterię in multis.

Febres ardentes cum phrenitide correpti, multi peribant.

Parotides circa aures, & mors cum suppuratione veniens, vt in ancilla pictoris, hæc, & alia morborũ genera proponuntur ab Hyppocrate in hac tertia anni constitutione, quorum morborum sympthomata,

mata, & multa consideratione digna censuit Hyppocrates.

Sympthomatum series proponitur.

Cap. XXIX.

SAnguinis profluuia morbos terminantia.
Rigores inordinati.
Vrinæ tenues, & boni coloris cum pauco sedimento.
Sopor in pueris.
Lacrimæ inuoluntariæ erumpentes:
Sanguinis in magna copia effusio adolescẽtibus, ac iuuenibus, quibus non fluxit, mortes sunt consecutæ, hæc, & alia proponit Hyppocrates sympthomata in languentibus ea tempestate affectis, vt rigores in principio, in somnia, sudores circa frontẽ, & clauiculam; deliria, timores, mestitiæ, frigidæ partes extremæ, accessionibus diebus paribus, sudores frigidi, non sitiebant, vrinarum nigrities, tenuitates, sanguinis stillicidia, quæ Hyppocrates recensuit primo epidem. comment. 2. 74. quorum symphtomatum causas infra clarissimè inuestigabimus.

Morborum causa hic inuestigantur.

Cap. XXX.

POstulat Methodus a nobis proposita, de morbis eã tempestate vigentibus, vt causę hic inuestigari debeant, atque primo loco paraplegiæ, qui affectus capitalis cum sit, causam eius bifariam afferimus; aut enim via critica id accidit deponente natura a cerebro quicquid molestum est ad neruos, inde resolutiones a scriptoribus latinis consequnntur, ac nominantur; sic videmus resolutionem brachii, tibiarum, aut alterius membri; & paulatim materia calefacta, attenuata, rarefacta, denique suscipiente parte calorem maiorem, spiritibus ad partem concurrentibus ope interdum externorum auxiliorum ad pristinam partem reduci, experientia nos docet quotidiana; nisi tamen ętas obstiterit aliquando, vt in senili corpore obseruamus, & parte spiritibus depauperata nimis, aut affecto primum cerebro, eoque refrigerato nimis, ibique materia coercita, ac in cerebro conclusa, præsertim obsidente totum corpus cerebri præ crassitie materiæ, viscositate, atque abundantia, impotens fit natura ad partem ignobiliorem, atque ad emuntoria sibi debita deponere materiam, inde sequitur sæpissimè accidere repentinas euadere apoplepticos homines,

quam

quam doctrinam Hyppocrates diuinus 3. aphoris. 12. clarioribus verbis docens, hæc habet, dantur destillationes cito interimentes, quam doctrinam libro de aere, aquis, & locis contraxit ad senes; iuuenes id etiam pati possunt, propter irruentem materiam, eiusque copiam, viarum obstructiones, ac facultates debilitatas; quare iure optimo Hyppocrates dixit ea tempestate paraplegias hyeme apparuisse, mortes etiam repentinas propter frigidum, & siccum statum, propter aquilonios ventos, propter anni inconstantiam vsque ad canis ortum; qua propter ex aere summe frigido inęquali cerebrum fuisse intemperatum, obstructum, denique dissolutum propter repentinas mortes, de quibus paulo supra; qua in re legitur diminutus Vallesius, qui huius morbi veram non assignauit causam, nisi concretione humoris in cerebro propter externas pluuias; nam tunc non esset sufficiens causa repentinæ mortis, sed catarralis fluxionis; experientia siquidem nos docet quotidiana, præcedente primo loco intemperie summe calida aerea, deinde adueniente intemperie frigida aerea, discresia obseruatur in corporibus, & varię fluxiones obseruantur in illis ad oculos, ad fauces, ad nares, ad guctur, immo vero in venas irruit materia, & febres aliquando originem trahunt malimoris.

Ad rem ergo deuenientes dicimus, veras intemperies aereas vario modo potuisse cerebrum intempera-

perare; Verum mortes causare repentinas magna cum difficultate potuisse, nisi aut magna succorum copia corpus cerebri simul cum poris oppleuisset, atque adeo obstructione magna, ac repentine facta in illis, mortes fuisse consequutæ repentinæ.

Ante Ver febres ardentes salubres & æstatem vsque perdurabant.

Non oportet diu insistere in huius textus speculatione, propterea quod supponentes principium illud verissimum huius tempestatis aquilonare viguisse tempus, in quo venti, quæ vigent, penetrant vsque ad viscera, propter eorum tenuitatem, pluuiis deinde aduenientibus, propter temporum interualla, hinc arbitror factum esse, bilim suscepisse ebullitionem, aut mauis dicere ichores biliosos, qui putrescentes salubres peperere ardentes; quare arbitror lapsum fuisse Vallesium, qui dixit, pituitam peccare salsam, nam hyems propter frigiditatem congessit pituitam; etenim sicca constitutio salsam causauit. Cuius sane error manifestus est; etenim quod solabilis peccauerit, verba diuini senis, & textus consequentes id confirmant, primo ex fluxu sanguinis narium multis accidebat salus, quibus vero stillicidia mors; Rursus rigores circa crisim, qui arguunt calidam, & pungentem materiam. 31. contra eundem Vallesium in his febribus ardentibus regii *Errauit Vallesius.*

mor-

morbi, seu icteritia apparebant die sexta, ex quibus licet colligere bilim fouisse hanc febrem, & peccato manifesto peccasse Vallesium.

Vndenam vero salubritas harum febrium ardentium dependeret, arbitror inquisitione esse obscurum nimis, propterea quod arguebant tempus anni contrarium. 2. fortem causam, & 3. magnum a statu naturali recessum. Cui difficultati respondetur febres fuisse lenes ardentes, quoniam status non erat calidus, & siccus, nam si calidior fuisset status, procul dubio periculosiores fuissent febres, & per consequens statu repugnante, & placidę, & mitiores apparuerunt.

Curiosa dubitatio proponitur. Sed hic est disputandi locus, vtrum validior, & intensior sit febris, quæ ex pituita oritur salsa, an fortasse ex bilioso succo, eoque tenui, acri, & mordaci? quæ sane difficultas nostros transcenderet limites, nisi Gal. quarto de acutis comm. 13. illam determinasset; dicit siquidem, veram causam dependere ex amara bili, pallidas fieri excretiones, febres ardentes semper augentur. Aliter philosophandum peccante pituitoso succo; etenim difficulter excernitur, febrē non ita parit vehementem, neque sitim incompesci bilem, neque in spiritum vertitur, & euanescit; quare concludendum peccasse bilim, nō pituitam, quę placidas, ac mitissimas produxit febres, nō quidem ratione causæ, cum ab igne pendeat, sed ratione temporis externi repugnantis frigidi.

Icteritia

Icteritia die sexta apparens.

Amplissimus nobis disputandi campus proponeretur de Icteritia, sub variis temporibus apparente, de qua re mistagogos medicinę legimus varios, Hyppocratē, videlicet & Galenum, quos non pauci ex antiquioribus, & neotericis sunt consequti: de qua re conciliatorem legimus in differentiis Valles. in Controuersiis, Cardanū in contradictionibus, Trincauellium, Montanum, cæterosque neotericos in epistolis, quare locus hic cum disputationem non permittat prolixam Commentatoris munus gerens, breuissimus ero. *Breuis digressio de Icteritia die sexta apparēte.*

Tota lis, ac difficultandi causa videtur dependere ex pugnantibus Hyppocr. locis, nam quarto apho. 62. statuit ante septimam diem Icteritiam esse pernitiosam, & Hyppocrates, quasi sui oblitus primo de morbis vulgar. commentario 62. 64. docet multos fuisse sexta die affectos morbo regio, & conualuisse a morbo. Contradictio hæc antiquissima semper fuit in scholis: multi tamen multa dixerunt.

Placuit aliquibus Hyppocratem non dixisse læthale, sed malum, ac proinde posse multos liberari; ratio vero, quæ in dubium reuocat hāc doctrinam, est, quoniam nulla præcedente coctione, aut magna copia, bilis effunditur in cutim, uia sympthomatica contingit, & non Critica; accedit naturam expellere materiam extra habitum corporis, & sfe-

ram eius, quod non præstat, sed intra eosdem limites illam detrudit, signa quippe efficacissima impotentiæ naturæ expellentis, impotentiæ naturæ sequestrantis, impotentiæ naturæ concoquentis, quæ omnia verissima esse, nunc demonstro; primo, quoniã expulsio fit in principio morbi. Secundo quoniam bilis illa excrementitia non demandatur ad loca sibi debita propter vitium sequestrantis facultatis, & quoniam cruda est bilis, coctio supponitur vitiata.

vera aphoris. proponitur expositio.

Nos autem citra omnem controuersiam, quæ longo labore didicimus, docere non verebimur; etenim dicimus aphoristicam doctrinam esse intelligendam de ea effusione biliosa, quæ pendet ab inflammato hepate, non autem de aliis causis; quę doctrina, ne paradoxa videatur, multis breuiter liceat asserere cum Galeno, Icteritiam hãc interdum prouenire vitio obstructionis pori fellei, aut vitio duri tumoris, ad quas sanè causas non est reducẽda Hyppocratis sententia; etenim videmus multos ambulantes, cæteraque facere munia vitæ, in quibus aphorismus nihil valet, quare concludendum Hyppocratẽ in aphoris. 62. contraxisse sermonem ad sententiam cum febribus, quæ cum phlegmonem, seu inflammationem supponãt in paremchimate, dubio procul, & iure optimo censuit diuinus senex, ne dũ malum, immo læthale signum apparere, Icteritiam cum febribus inflammato hepate ortum ducẽtem;

aut dicendum nullam esse pugnantiam inter dicta Hyppocratis; nam textus epidemialis, hæc habet; verba erant; qui sexta die erant affecti morbo regio; sed his purgatio profluxit per vesicam, per aluum, per fluxum sanguinis narium, quare concludendũ non contulisse sententiam apparentem sexta die lan guentibus: sed alia consequentia vacuationum genera numerata, iuuisse non parum, sed de hac difficultate satis. In controuersiis enim locupletiores erimus.

Mulieres vtero gerentes, aut languidæ erant, aut post partum moriebantur.

Textus hic, est similis 3. aphor. 12. quo tempore existente constitutione Aquilonari fuerunt causæ abortus, immo multi infantes in vtero peribant; duo autem sympthomatum genera contingisse mu lieribus ex Hyppocrate habemus, primum languiditas, seu debilitas mulierum vtero gerentium, secundo obitus multorum post partum; nos vero addimus tertium cum eodem Hyppocrate, & Galeno morbifici ortus infantium, aut eorumdem interitus, vt eodem 3. aphorism. comment. docet Galen. quorum sane euentuum causa videbatur esse euidentissima, frigida illa ambientis constitutio, quæ summa, ac intensa frigiditas percutiens internas corporis partes vterinas, ac genitales pernitiosorum euentuum, apud Hyppocratem, & scriptores causa cen-

ſenda fuerit prima; enixe ſiquidem poſt partum ſanguinem diu contentum in vtero, & venis pro naturę commodo foras effudunt quadraginta dierum ſpatio in fœmellis; in maribus vero triginta duo; quo fit, vt exiſtente vtero intemperato, atque ab intenſo frigore veluti ſopito facultates hæbetantur omnes, retentiua facultas fit fortiſſima, expellens languidiſſima, atque adeo natura ſegnis redditur ad excrementorum expulſionem peragendam, de quibus Deo duce poſt paucos dies typis excudetur opus meum de morbis enixarum quod erit quintum in ordine.

Aut dicendum, immoderatas ſanguinis effuſiones matrem, & fœtum facili negotio debilitaſſe, & ſupra narrata apparuere affectionum genera.

Diſenteria in multis.

Affectus hic non expoſcit multam inueſtigationem; etenim depoſita bili ad ventrem, & inteſtina, excoriationes, & vulcuſcula fuerunt ſuper orta.

Febres ardentes cum phrenitide, quos homines mors ſubripiebat.

Ea eſt natura phrenitidis, vt inflammatis meningibus prius, mox communicata inflammatione cerebro, illoque apoſtemato toto, cum non ſit remedio locus, vel nullus euadit vel ſatis rarus languens; pendet autem phrenitis ex bilioſo ſucco in

cerebro,

cerebro collecto, & amentia, & facultatum internarum cum læsione magna ex copiosis humoribus inuenis, contemptis, orta, qui partem supremam afficientes, simul cum corde, & cerebro sympathiam habentes, vtrumque viscus dissoluũt ac labefactant, communicata putredine arteriarum ope.

Aduersus empiricos med. seccãtes venã frõtis cõmunicata & confirmata inflãmatione cerebri

Qua in re non possum non multum redarguere empiricos medicos, qui expectantes confirmationem inflammationis in cerebro, tandem secant venam frontis, multaq. alia remedia topica applicant; nam præterquam quod ratio methodica nos docet longa, vsu expertus sum vt diutius morando in missione sanguinis a fronte, vicinisque partibus in phreniticis nullus certe euasit; quibus vero adaucter ex fronte, & cucurbitularum scarificatione, fuit demptus sanguis, eos omnes euasisse vidi, ad quod confirmandũ ducor ratione demostrante; etenim communicata a meningibus corpori cerebri inflammatione surculis, ac ramulis venarum infinitis inflammatis, nullus erit remedio locus; velocissimum ergo expostit medicum affectu hic capitalis, & si quando medici empirici ad factum, & fiens, ad consensum, & essentiam recurrunt manifesto cœlo aberrant propter rationem assignatam.

Parotides circa aures.

Si doctrina aliqua sapit certum prognosticum, est præsens de ancilla pictoris proposita ab Hyppo-

crate

crate fuimus coacti uia dubitationis multiplici illa declarare.

Primo dubitatur, vtrum suppuratione apparente in abscessu aliquo possit homo perire?

Secundo dubitatur, Vtrum parotides sint criticę, an sympthomaticæ?

Quantum vero spectare videtur ad primam difficultatem, videtur, quod non possit homo perire, apparente suppuratione in parte; nam habemus ex Hyppocrate. 1. Epid. 2. 43. concoctiones celeritatem iuditii, & vitæ securitatē demostrare. Secundo suppuratio speties coctionis est, quæ fit vigente calore superante causam morbificam; ergo non potest sequi mors, suppuratione præcedente, dumodo tamen non sit apparens, & ficta, sed vera.

De ancilla pictoris concoctio dupl. in Historia no tatur.

Cui difficultati citra omnem controuersiam Respondetur cum Galeno, quod concoctio est duplex; quædam est totius, quædam partis; quare potest contingere esse crudos humores in venis, concocta tamen materia, ac suppurata in parte; quare ancilla pictoris non perit ratione parotidis suppuratæ, sed ratione crudi humoris in toto existentis, vt liceat mihi vti verbo Galenico, atque doctrinam hanc esse memoriæ dignam propter exempli huius raritatem, & singularitatem, intuentur omnes, non ergo debent medici imprudentes statim pronuntiare prognosticum ad pauca respicientes, sed excrementa omnia bene obseruare, coctiones partium,

bene

bene contemplari, virtutis tenorem, caloris augumentum, diminutionem, pulsus imbecillitatem, vel magnitudinem, & vehementiam, æqualitatem, vel inæqualitatem, & tandem vires morbi cum viribus languentis comparando caute loquendo libenter poterit certa pronuntiare præsagia.

Quantum vero spectat ad secundum de parotide critica, ac sympthomatica longum sane, ac prolixum exposceret sermonem, nisi ad quasdam conditiones breuissimas perstringerem omnia, primo parotides tunc sunt sympthomaticæ, quando varias in se habent conditiones, quarum prima est si appareant in initijs morborum crudo existente humore. Secundo sympthoma est ratione loci. Tertio sympthoma est ratione quantitatis. *De parotide critica atq. sympthomatica clara proponitur doctrina.*

Quantum vero spectare videtur ad primum, quæcumque expelluntur a natura inchoantibus morbis, omnia sympthomatice, & coacta natura, atque cruda cum existat materia ad malos abscessus conuertitur natura, vel ad labores, vel ad mortem, vel ad recidiuas, eorumdem morborum pronuntiant omnia 4 aphoris. 22. docet Galenus.

Quantum ergo ad secundum spectat de loco affecto epiglottites tonsille musculi infra cerebrum, denique partes omnes recipientes non sunt loca adequata expurgationis venarum; nam ea, quæ continentur in venis, habent loca particularia, per quæ expurgantur, aut per sudores, aut per vrinas, aut per *Locus parotidis qs esse debeat.*

fceffum ; qua ergo ratione natura a venis deponit magna in humores infra collum, proculdubio cum fit motus violentus, & fympthomaticus, humores erunt, aut actracti, aut impulfi, aut vecti, quæ doctrina methodica & veriffima cum fit dicimus parotides in febribus malignis effe mortale fymptoma, impulfis humoribus maligna vi ad loca vicina cerebro, qui locus non eft deditus expurgationi venarum fed folum cerebro ab aliqua caufa morbifica oppleto vt infra dicam.

Materiæ purgandæ quantitas atq. moles parotidis.

Reftat tertio loco examinanda conditio circa materiæ quantitatem expurgandam, quæ cum fit exiguæ portionis ; quorum natura expellit exiguum humorem peccantem, fi venofum genus prauis fcatet humoribus ; quorum tanta videtur effe colluuies, atque quantitas vt furfum magna vi ferantur omnes, quare breuibus perftringendo verbis dicimus fympthoma hoc fub triplici ratione formali effe prauũ ; primum ratione temporis cum fit in principio crudo exiftente fucco vt diximus. Secundo ratione loci, cum emuntoria cerebri fint deftinata cerebro. Tertio ratione molis exiguę improportionatæ caufæ morbi.

Meth. obferuanda pro via cu randi.

Dices, qua ergo methodo debet prudens medicus incedere in tali abfceffu fympthomatico, an impellentibus vtendum, an fuppurantibus, & trahentibus foras ? quàmuis locus hic fit theoricalis magis, ac fpeculationibus deditus, rei tamen de qua quæfitum

tum proponitur, permittit nonnulla in hoc loco miſcere, quę alibi practico vſui eſſent deſeruienda, propterea ſunt adminiſtrandi fotus, multaque alia remedia indicata á concurſu humoris; qua in re non poſſum non multum redarguere empiricorũ ignorantiam pigro quoddam modo incedentium, qui timentes applicare trahentia foras, intus fluctuans, ac regurgitans materia cauſat mortes interdum repentinas, & hoc debent medici memoria mandare, pręcipuè cum quamplurimos, & infinitos ex imperitia medicorum obire intuemur circa topica parotidum.

Tunc vero arbitramur criticas eſſe parotides, quando cerebrum aliquo affectu capitali detinetur, vt phrenitide, comate, lethargo, epilepſia, aliiſq. ſymptomatibus cum afficiatur cerebrum, quicquid in illo detinetur, aut generatur pręter naturã, ad propria emuntoria, ſibique loca vicina deponit: ſcimus enim in via Galeni cerebrum purgari per nares, aures, oculos, per ſuturas, & muſculi infra cerebrum ſunt dediti excrementis cerebri expurgãdis, id quod demoſtrant conferentia, & tolerantia languentes, quare concludendum in morbis capitis naturam leuari ope parotidum, in morbis autem venarum, vt ſunt febres malignę, omnes ſunt peſtilentes, & prauæ, quo in loco errauit Vallcſius; dixit enim ancillam Pictoris periiſſe per ipſam ſuppurationem facto abſceſſu maiori, quem vt ferre poſſet computreſcentibus

Critica parotides q̃nam ſint.

scentibus quibusdam particulis, lethaliter hoc signi ficat verbum illud suppurauit.

Error Vallesi. Sed miror Vallesium peccato manifesto peccasse, dum asserit magnitudinem suppurationis necasse ancillam; nam præter quamquod nullum ostendit verbum Hyppocrates, quod dicat abscessum fuisse maximum, & quamuis gratis concedamus, non tamen mors est adscribenda quantitati abscessus, nam tunc citius conualuisset supponentes maiorem copiam materiæ fuisse concoctam, atque foras expurgatam, per consequens dominante natura causam morbi, ridiculum est asserere maiusculum abscessum fuisse in causa mortis, sed solam cruditati venosi generis tribuit Galenus. Immo tanquam rem singularem, ac raram proponit Galenus in principio commenti.

Accedit secundo, quoniam fuisset facta maior spirituum dissolutio, qui facili negotio poterant restaurari nutrimento euchimo, & per consequens non erat expectanda mors; veriores ergo censendæ rationes a me paulo supra allatæ, postquam methodo sunt innixæ omnes, & Galeni doctrinę non sunt oppositæ.

Sypthomata hic examinantur.

Sympthomata consequentia morbos numeratos multa sunt ab Hyppocrate proposita, inter quæ erat stillicidium sanguinis, cuius sympthomatis

quęnam

quænam sit causa, quodve præsagium sit colligendum Galenicum, infra in hystoriis declarabimus, sicut ex opposito effusiones, & profluuia sanguinis multos terminabant, idque rationabiliter propterea quod omnes quattuor succi vniformes in sanguinis effusione effunduntur, neque spectanda est coctio aliqua sicut in aliis humoribus; propterea sit

Vnica conclusio, in primis morbi diebus sanguinis effusio facta morbos terminat, probatur, quoniam sanguis non expectat coctionem, cæteri vero humores sic, vt infra disputabimus clarius.

Sãguinis euacuatio in primis morbi die b morbos terminat vero hic ostẽditur.

Vigores inordinati febres istas consequebantur.

Ordo vero sicut pendet ab vno solo simplicique, ac nudo humore, ita inordinatus inæqualem supponit materiam, eamque eterogeneam, appellari autem possunt inordinati, quasi vero sibi non correspondentes propterea Hyppocrates quarto aphoris. 46. dicebat si rigor incidat, febre non deficiente, existente ægro debili læthale, & Galenus quasi grammaticæ eruditioni vacans, altissimam tamen docens medicinam, hæc habet, differt dicere, incidat, & inciderit, propterea, quod inciderit, vnum significat insultum, incidat verò plures, vtroque itaque affecto rigore languente nondum constat euentus, an mors sit secutura, an perfecta morbi iudicatio, seu crisis.

De vrinis tenuibus.

Arbitror in illis declarandis non esse diu morandum; hæc enim cum sint excreta venosi generis, multas possunt arguere causas, aut obstructiones in visceribus, aqueos, & crudos humores abundare in venis, aut aliò fuisse attractos humores; aut immoderata moles rei potatæ, aut caloris imbecillitatem; calor siquidem proprio suo munere media concoctione crassa reddit omnia, hæc et alia possunt causarum genera assignari, vt scriptores omnes antiqui, duce Galeno, docere videntur, vt secundo prognost. Gal. actuarius Niccolus, & alii moderni.

Nolo silentio pertransire prauum humorem, malignam febrem fouētem, sic videmus vrinas esse tenuissimas atque dealbatas; calore venarum natiuo existente languido, distracto, diminuto, labefactato, & fere extincto; de quibus disputandis dabitur alibi occasio, sicut ex opposito sedimenti copia, & flauities, pallearis color a vulgaribus medicis dictus mediocritatem inter crassum, & tenue; albedinem, lenitatem, & æqualitatem sedimenti venosi generis perfectionem, natiui caloris dominium, ac vigorem hæc & alia testantur, confirmantque omnia, de quibus vrinis in hystoriis Deo duce, & doctior, & prolixior habebitur sermo.

Lacrimas inuoluntarias esse pernitiosū symthoma Gal. docet

Quid vero de lacrimis inuoluntariis, de symptho mate hoc in excretis consistente dicendum, paucis

per-

perſtringam; etenim ſi ſympthomata aliqua ſunt pernitioſa in arte hoc eſt omnium deterrimum, propterea quod inter calorem, & humidum radicale, talis, ac tantus videtur eſſe nexus a primordiis naturæ ex ſemine, & ſanguine, vt deficiente vna cauſa labatur, fluatque & altera; apparent ergo lacrimæ inuoluntariæ, propter humidi radicalis diſſolutionem, quo fit vt diſſoluto natiuo calore ſibi amico, ac ſocio, facili negotio labatur humidum, & per conſequens mors eſt quam primum expectanda.

Pueris multis ſopor acceſsit.

Idque non mirum, exiſtente ſiquidem habitu corporis humidiori pueris, facili negotio cerebrum propter eius humiditatem connatam, maiorem contraxit intemperiem ab anni tempore aquilonari, & propterea non mirum fuerit ſi ſopore fuerint detenti.

Hęc autem tempeſtas necauit primas ętates, propterea quod iuuenes, adoleſcentes, adulti omnes perierunt.

Dices, qua ratione Hyppocrates harum ſolūmodo ætatum meminerit, alias ſilentio pertranſiens?

Reſpondetur, de calidioribus ſolummodo feciſſe mentionem, videlicet adoleſcentium, iuuenum, adultorum; qui vero ætatem aliam habent, difficulter habitum corporis digerunt, propterea quod frigidioris ſunt temperamenti, habent enim obſtru-

ctos

ctos poros Glabri, qui albidam habent cutim, capillos rectos, & tandem qui vitam ducunt sedentariam, & per consequens primarum ætatum meminit Hyppocrates sicut præceptor Galenus in com. docet. Verum quia multa proponuntur ab Hyppocrate, sympthomata circa historias Epidemiales propterea ne videatur bis repetere eadem, quare cum noua inuestigandæ ratione, ac methodo vti debeamus, propterea silentio pertransimus.

Sed aliquis diceret in tali constitutione perniciosa apparuit ne crisis aliqua, aut euacuatio naturæ satis conferens? ex vna parte est negandum, propterea quod tunc obseruantur crises, quando materia est concocta, a natura vincibilis, quæ facili negotio, & concoqui, & sequestrari, & tandem expelli a natura posse, medicorum schola docet vniuersa, duce Galeno 4. aphoris. 22. cum autem multi morbi hac tempestate apparuerint maligni, qua ratione natura criticare in his morbis, nulla ratione poterit, & doctrina est aurea Galeni. 2. aphoris. 13. vbi habet in costitutione pestilenti crises non esse expectandas, quare concludendum in hoc statu, non potuisse crises apparere, opus alioquin Hyppocrati, & Galeno adeo amicum, sæpe ab illis recensitum, vbique locorum ab ipsis decantatum; tunc siquidem est vere opus criticum, quando natura videtur concoquere, & tandem expellere; signum quippè dominantis natiui caloris supra causam morbificam, quæ si benigna

nigna fuerit, natiuo calori obediens, critica consequuntur opera; aliter philosophandum in malignis succis, quorum natura sapit essentiam veneni, vt alias docui, & per consequens victa natura succumbit morbo; iure ergo optimo Galenus aphoris. 12. secundæ sectionis docuit in pestilenti morbo non esse crisis expectanda, propter rationes assignatas, & paradoxum empiricis videbitur opus, semper insistentes medici in operibus artis, vel pharmacando, vel secando venam; naturæ vero opera nihil imitantes in varios videmus incidere errores.

Ex alia uero parte Hyppocrates primo Epidem. 2. 78. docet, quibus modis, quibusue signis multi languentes fuere superstites, ac sanati; quattuor autem recenset loca critica, per quæ natura causam morbi expellit, tanquam per emunctoria, primo loco nares, secundo loco vesica; tertio intestina; quarto in mulieribus vterum erumpentibus mensibus. *Loca per quæ naturæ critica re solet hic Hypp. locus notatur.*

Quantum ad nares profluuia sanguinis, febres terminantia, & iure optimo non tota massa sanguinaria, ac peccantes succi facili negotio febres remittebant, expurgatis illis.

Quantum ad vesiccam totus habitus corporis expurgatur per vias vrinę, atque venoso genere repleto prauis humoribus, & parte concaua hæpatis iisdem repleta succis, natura deposuit per vrinas quicquid erat noxium in venis. *Gal. 4. apho. 69. 1. epid. com. 2. & 4.*

Quantum ad tertium intestina biliosorum rece-

ptacula

ptacula excrementorum facili negotio morbos terminabant.

Quantum ad mulieres quarto loco Hyppocratē legimus, erumpentia excrementa vterina morbos terminare omnes, quæ ſane doctrina Hyppocratis theoricam, & praxim docet diuinam: etenim natura fecit peculiaria loca pro ex pulſione variorum excrementorum, quæ in ventre inferiori continentur, in pancreate, omento, meſenterio, facilis conceditur aditus ad inteſtina; quę vero in venis continentur, atque in hæpatis parte concaua, vel in parte gibba, facilius per veſicam, ac tutius demandantur omnia; ſimiliter ebulliente maſsa ſanguinaria tota ſicut in ſinecis, ac ardentibus euenit febribus, tunc ſurſum petentibus ſuccis, nares ſunt loca expurgantia totum, eademque philophãdi ratione de genitalibus, & vterinis loquendo partibus, & hanc doctrinam innuit diuinus Hyppocrates primo aphoriſ. 21. vbi habet, quò natura vergit, eo ducere oportet per loca conferentia, quaſi vellet dicere diuinus ſenex, natura varia fecit in corporibus emuntoria, & per conſequens per illa detruduntur excrementa, atque excipit pars illis deſtinata; qua propter concludendum in hac conſtitutione prauas apparuiſse criſes, morbos terminantes; propterea liceat reſpondere ad obiecta prima.

Difficultates illas ſuperiores eſse intelligendas de peſtilenti ſtatu, ac læthali, & de eo humore, qui in ſe

venenum

venenum continet, vires a prima die prosternens, calorem distrahens, atque extinguens; in quo sane nulla expectari potest concoctio, nulla naturę benignitas, nullus naturæ gradus, nullus expellentis facultatis vigor, & tandem paucis perstringendo verbis, quid boni expectandum erat? quæve crisis? calore vitali extincto ferè toto, ope cuius quęcunque in humano corpore fiunt, ope illius, ac auxilio perficiuntur omnia.

Sed tempus est, vt vela contraham, atque ad expectatos discipulos hystorias expectantes, atque examinandas illas deueniamus; Verum sicut Hyppocratem diximus in principio huius operis, atque męthodicum appellauimus, ita ante hystorias numerandas seriem adeo longam dignosticæ partis proponit, vt singula verba aphoristica veluti contineant doctrinam. Morbos dignoscimus, docti ex „ communi omnium natura ægro oblatis offerente, „ natura facillius, ac difficillius, propterea ex vniuer- „ sali, ac particulari Cœli statu, & locis particulari- „ bus, consuetudine, victus ratione, vitæ genera, æta- „ te, cum sermone, taciturnitate, immaginationibus, „ insomniis, vigiliis, quibus, & quando, lacrymis, fri- „ ctionibus, accessionibus, vrinis, sputis, vomitibus, „ sudor, rigor, tussis, sternutamentum, singultus, & „ sic de aliis docet diuinus senex significatiuam par- „ tem, in qua omnia medico necessaria cognoscenda „ ante oculos proponit, sed tempus est post prolixam „

de temporib. narrationem, ac temporum examen, deuenire ad languentes examinandos, quorum numerus infinitus cum sit, vt habet Galenus, obseruatione digniores proponit.

DE PHILISCO HISTORIA Prima.

Historiarum Hyppocratis declaratio prima, atque interpretatio Philisci. Cap. XXXI.

PHiliscus prope mænia habitabat, hic morbo decubuit, prima die febris fuit acuta, sudauit, laboriosam noctem habuit, postridie omnia euaserunt grauiora, vesperi a clystere melius habuit, nocte quieuit, die tertia mane ad meridiem visus est liber a febre; sub crepusculum vero febris eum acuta corripuit vna cum sudore, sitibundus erat, lingua exaruit, vrinam nigram reddidit, noctem grauiorem habuit, non dormiuit, delirauit; quarta cuncta fuerunt exacerbata, vrina nigra, nox molestior, vrina melioris caloris; quinto ad meridiem parum de naribus stillauit, vrinæ variæ, in quibus erant nubes geniture similes, non residebãt, subdito balano pauca retrimenta flatuosa, nocte grauiter se habuit, somni pauci, deliramenta loque-

batur, extremitates vndequaque frigebant, nec »
iam ad calorem reuocari illæ poterant, minxit ni- »
gra, aliquantum dormiuit, ſub diem obmutuit, »
frigida ſudauit, extremæ partes liueſcebant, die ſexta »
ad meridiem defunctus eſt: ſpiritus huic erat per- »
petuo quaſi reuocanti rarus, & magnus, lien in tu- »
morem rotundum elatus erat, ſudores perpetuo fri- »
gidi, acceſſionibus diebus paribus. Hiſtoria hæc
prima, quot verba continet, tot habet difficultates,
& theoricæ partis, & practici operis medici contro-
uerſias videtur præcludere quamplurimas, in qua re
licet ordine in hac hiſtoria examinanda incedere,
& primo incedendo more phyſico, quid intendat
Hyppocrates in hyſtoria docere, examinando; ſe-
cundo diuidere hiſtorias in partes; tertio verba ſin-
gula ponderare; quarto difficultates emergentes ex
verbis Hyppocraticis, & doctrinis eius diſputare;
quinto qua methodo medici debuiſſent incedere,
quibuſve indicationibus vti circa præſentem lan-
guentem.

Intentio hiſtoriæ.

Quantum ergo ſpectare videtur ad primum, in-
tentio Hyppocratis in hac prima hiſtoria eſt, duas
illas primas curatiuæ methodi abſoluere partes, vi-
delicet ſignificantem, & prognoſticam, ſupponen-
do a parte ſignificante medicos rationales arte hyp-
pocratica dignos, poſſe deſumere medendi viam,
& indicationes curatiuas, ſuppoſita parte digno-
ſtica primo loco bene cognita.

Diuidi potest hystoria Hyppocratis in quatuor partes, in prima parte recenset locum, quo cœpit ægrotare, atque adeò significans essentiam febris collocandam esse inter acutas, silentio pertransiens, quo tempore cepit ægrotare, & in qua ætate, quorum contraria docuit in sileno, vt in fra docebimus: sed fortasse hæc tanquam nota supponens, silentio pertransiit; aut dicendum fuisse in ætate vigenti, & iuuenili, scientes senes difficulter corripi acutis febribus, vt 1. sect. aphoris. Hyppocrates. Conijcere itaque licet collocandum esse hunc languentem inter iuuenes, ad quod comprobandum adducor ex Hyppocrate qui lib. 1. Epid. comm. 2. 62. febrium ardentium crises enumerans, per fluxum sanguinis narium nominat Sylenum, & Philiscum, qui ambo perierunt, quoniam vtrique nares stillarunt; quo fit vt ducar in hanc opinionem, sub eadem ætate fuisse vtrumque languentem; in secunda parte ponderat magnitudinem sympthomatum; ea autem sympthomata sub triplici facultate læsa docuit, videlicet animali, vitali, & naturali. Circa animalem vt sitis, linguæ ariditas, noctes insomnes, respirationis læsiones, deliria, mutitas. Quantum ad naturalem, nigredines vrinarum, repetita excrementa flatuosa, & pauca, sudores frigidi.

Diuisio historiæ.

Quantum vero spectat ad vitalem, tanta erat vitalis partis, ac visceris frigiditas extrema, vt difficillime ad calorem reuocari potuissent partes.

In tertia parte præfinit terminum huius morbi, videlicet die sexta periturum languentem.

In quarta parte contemplatur Hyppocrates quasi cõmentator, & non inuentor eiusdem hystoriæ, respirationem magnam, & raram; secundo lienis tumores; tertio contemplatur sudores perpetuo frigidos; quarto accessiones diebus paribus affligentes.

Quantum ergo ad ponderationes verborum desero in præsenti futilia, & vana multa a Mercuriali inuenta, ac proposita; sed rem vtilem agentes quæcunque docebimus, ea semper erunt innixa methodo.

(Prima die) verbum hoc duplicem supponit contemplationem; partim astrologicam, partim medicam; in astrologica parum immorabor, ne videar trãscendere limites mei instituti, illud solũmodo dicam, penes orizontem sumi quantitatem diei, ac noctis; etenim volentes definire diem astrologico more iusta opinionem scribentium, esse moram dicimus solis sub orizontem, noctem vero esse moram eius infra orizontem, immo ne aliquid tractationi nostræ deficiat, recedendo a superfluis quesitis, quæ altiorem, & astrologicam videntur continere cognitionem, dicimus, breuiter paritatem dierum cum noctibus, earumque imparitatem pendere ab æquinoctiali circulo, quam veritatem, atque oculatam obseruationem bis in anno accidere comperimus; excessus vero dierum a noctibus propter re-

cessum

cessum solis ab æquinoctiali circulo, ad quem paulatim rediens breuior, atque angusta fit dies, doctrina tamen est cõmunis astrologorum, vt cum sol motu diurno vniformiter mouetur, si arcus, super quos mouentur supra orizontem existentes, æquales fuerint, arcus sub orizõte dies dicuntur esse æquales noctibus; si vero arcus super orizõtẽ maiores extiterint, vel minores, aut dies maiores noctibus, aut contra affirmare licet; quare concludendum breuiter ex vno motu solis super zodiacum, noctes fieri aut lõgiores, aut breuiores; negandum tamen non erit, quibusdam vnum mẽsem esse diem integrum; quibusdam aliis esse constitutum diem vnum ex duobus mensibus; fertur tamen apud indianas regiones diem vnum constare sex mensium spatio; sed de parte astrologica satis. Ad rem ergo redeuntes medicinalem, speculationem, in qua diutius immorandum, dies apud medicos, aut arte conficiuntur, aut ex motu solis zodiacum peragrantis, & sicut dies supponit initium morbi, sic dicimus diem, seu principium esse trifariam; aut enim quousque appareant coctionis signa, aut in primo insultu, aut principium accessionis, Gal. lib. 1. de crisib. cap. 7. primo aphoris. comm. 12. febris fuit acuta, in qua acutie declaranda liceat parum immorari, de acutie morbi loquitur Hyppocrates primo de morbis vulgar. commentario tertio: tertio, vbi acutiem assignat in continuis febribus; habet enim febres con-

Dies apud medices quot.

Acuties varijs modis desumenda.

tinuas

tinuas esse acutissimas, & læthales.

Nos vero philosophantes in rei natura dicimus, acutiem esse variis modis, primo acu tiem esse contemplandam in morbis, secundo in causis, tertio in symptomatibus.

Quantum ad primum, acuties in morbis supponit celerem motum cum vitæ periculo, qui & magnitudinem habet, cum celeritate iuditii coniunctam, secundo aphoris. 23. statuit acutos morbos quatuordecim dierum spatio terminari, sic febres ardentes, pleuritides omnes celeritatem cum supponant, atque iuditium proximum, aut ad vitam, aut ad mortem appellantur morbi acuti, quicquid sit de hac quæstione adeant legentes scriptores neotericos fuse disputantes.

Acuties interdum obseruatur in causis, sic docet Galenus 7. aphoris. 32. & alibi in lib. de crisibus, bilim producere morbos, secus de pituita, atque humore melancolico dicendum, qui cum tarde moueantur, non possunt celebrem causare motum, atque iudicium: supponitur ergo in acutie motus velocitas, qua propter statuo hanc conclusionem, omnes morbos a trugenti succo dependentes, esse acutos, sicut sunt febres malignæ, pestilentes, phrenitides, pleuritides, & alia id genus, morborum genera.

Dices, solum acuties estne obseruanda in humore calido? nonne ipsa pituita acutos etiam pro-

ducit

ducit morbos, vt est apoplepsia, & epiplesia?

Respondetur, acutiem non consistere in essentia, neque in causa morbifica solum, sed in effectu producto, propterea confero me ad sympthomata, & ad effectus; solemus enim circa actum practicum multa sympthomatum genera obseruare, quæ acutiem ne dum exiguam, sed maximam supponunt; etenim sympthomata multa sunt, quæ gerentia vicem causæ, & morbi vires prosternunt, sic videmus in parte animali phrenitides, quæ facili negotio, atque temporis interiecto curriculo labitur animalis facultas, atque dissipatur contrahente cerebro inflammationem.

In parte vitali lypothomia, ac sincopes, quæ vires prosternit omnes, vt Gal. 12. meth. 5. sincopes est præceps virium lapsus. In parte vero naturali deiectiones ventriculi, inappetentia, fluxus alui cibales, cardialgia, denique acuties tanquam genus prædicatur de morbis, causis, & sympthomatibus, atque methodus nos docet innixa Hyppocrati, & Galeno, acutas febres trifariam obseruari; aut enim incipiunt, & perseuerant acutæ, aut incipiunt acutæ, & euadunt segnes, & mites, remittuntur autem in via; aut tertio loco mites incipiunt, degenerant tandem in acutiem magnam, vt Hyppocrates, & Gal. in epidemiis in hystoria Parii, vbi habemus perdurasse febrē ardentem centum, & viginti diebus, non quousque ad diem illum potuisset morbi acuties

per-

perdurare, sed in itinere remissa fuit febris, non intermissa, sed iterum suscipiendo vires cœpit acuties, qua remissa iterum terminata est febris extra limites acutorum, quem textum multi cum non intellexissent in consiliis, in varios errores abierunt, sicut in consilio quarto habito in ægritudine Illustrissimi Præsidis D. Pedri de Vera ab Aragonia, in quo consilio magna fuit inter medicos altercatio, de essentia febris, de causis eius, de temporibus, eiusque vi; tãdem inter nos dissentione super orta non exigua, periisse vidimus.

Dices, acuties sortitur ne certum tempus, & stabilitum? *Dubiũ de certo tpe acutiei.*

Respondetur, certum tempus esse decimumquartum diem in uia Hyppocratis 2. aphoris. 23. & qua ratione acuties sub duobus edomatibus terminabitur, alibi disputabitur; pergit enim acuties vlterius vsque ad dies 20. & 40. appellati á Galeno ex decidentia, & tandem paucis perstringendo verbis, varias docet acutiei conditiones. Hyppocrates in primo aphoris. dum loquitur de victu, denique omnis acuties pendet partim ab externis, partim ab internis causis. *Solu. dub.*

Ab internis causa morbi, & symphtomatum, ab externis vero tempore mensurante, motu totius affectus, quod tempus aut breuissimũ est, aut prolixũ nimis; non desero docere tempora anni multum conducere ad talem motum, atque ad acuties mor-

Deseroan quam in scholis cō- trouersiā de esse in acu que sit de qua re legendi Altimarus, & alij neoterici nos tamē Altiorem declarare Prouintiā fuimus Polliciti cōmuni hac derelicta cū antiquis quæst.

borum pariendas, tanquam causę exteriores, & sic obseruamus, quartanas autumnali tempore esse acutas, & Galenicis vtendo verbis, secundo aphoris. 25. non absque ratione vtitur Hyppocrates exemplo longissimi morbi, videlicet quartanæ, pronuncians exempla; ab hoc etenim æstatis tempore humores discutiuntur; temporis ergo breuitas absque morbi resolutione, non parum pendere videtur ex temporis anni, mensurante causam: sic videmus ex opposito hiemali tempore humores intus remeare, tanquam in latibulis cubantes, neque etiam contingit ægrotanti, seruatis viribus.

Dices, Philisci febris fuit ne solum acuta, an fortasse acutiei terminos excesserat?

Respondetur, nomine acutiei Hyppocratem, & Galenum esse intelligendos pro gradu superiori, scilicet malignitatis, propterea quod putredo erat insignis, quæ non poterat, neque ab arte, neque a natura corrigi, sed semper spiritualem, atque animalem partem afficiens, breuissimam excitauit mortem; erat enim febris cachoetica perniciosissimis firmata signis in primis morbi diebus, & per consequens miror Hyppocratem non dixisse febrem fuisse malignam; adeó diuini obseruatoris legentes præsagium, morborum prȩuidendo futura; poterat ergo Hyppocrates malignitatis meminisse superioris gradus acutiei, non autem acutiei simpliciter solius, nisi esset, quod primus inuentor Hyppocrates

Hypp. acutiei meminit nō aūt malignitatis termino, seu verbo.

non

non potuit omnia, & inuenire, & clara luce docere, sed solius acutiei mentionem faciens, summa malignitas sub hoc termino, ac verbo erat intelligenda, supponentes malignitatem varios in se habere gradus, cum in prædicamento qualitatis dicatur esse collocata, & per consequens prauitas in prędicamento qualitatis existens, acutiem supponit; & idẽ Hyppocrates paulo supra citatus docet primo epid. comment. 3. text. 3. in febribus continuis, & acutiem, & magnitudinem sympthomatum, seu prauitatem collocanda omnia esse, sed confero me ad secundum verbum examinandum huius historiæ.

Sudauit, laboriosam noctem habuit.

Galenus doctrinam illam auream sæpius repetere videtur, decretoria non indicantia, aut læthalia, aut difficilis sunt iuditii; sudor Philisci tantum abest vt febrem terminauerit; immo vero auserit; crudi siquidem erant succi, & per consequens abundantia, seu copia humorum in venis scatetium, demonstrabant, quàm crisim, sic placuit Galen. quarto aphoris. 23. vbi habet ea, quæ expelluntur in principiis, nihil expelli naturæ ratione, sed omnia sunt casus in corpore dispositionum; quare concludit Galenus eodem commento, nihil posse critica via expurgari a natura in principiis, propterea quod primo loco præcedere debet concoctio; secundo loco

Via critica in principiis nihil posse expurgari

R 2 se-

ſequeſtratio; tertio expulſio, ad hoc vt fiat perfectũ iuditium; ſudauit ergo prima die, extremam ſupponens cruditatem, copiam humorum, & per conſequens natura faciebat id, quod poterat ſudando, atque ad cutaneas partes deponendo ſuccos, ſed de ſudore paulo infra fuſius loquemur.

De laborioſa vero nocte multa eſſent a nobis proponẽda, niſi methodus cauſas determinatas inueniſſet.

Cauſę laborioſe noctis in ęgris quot eſſe poſſint hic inueſtigãtur.

Nox laborioſa languentibus accidit, aut ratione nouæ acceſſionis, aut ratione nouæ putredinis, & mineræ, aut ratione ſympthomatum, aut ratione criſis, aut ratione ventralis affectus vitio, aut cauſa morbi, & vitiatę coctionis eius, aut ratione deſtillantis materiæ a cerebro ad illum.

Quantum ad acceſſiones accidit, ſæpiſſime languentes pati varias acceſſiones nocturnas, & diurnas, vt Hyppocraticis videar vti verbis, & per conſequens languentes ſerenam tranſigentes diem, acceſſio nocturna eos affligens noctem in illis cauſat moleſtam.

Aut fortaſſe, quoniam noua minera putredinis excitatur inſueta languenti, non expectata a Medico, ſic videmus languentes noctes pertranſire inſomnes, eoque magis ſi putredo a bili aduſta, eruginoſa, aut vitellina pendere videatur, a qua eleuati vapores ad cor, ad cerebrum, ad ſeptum tranſuerſum, denique occupantes totum, languentem reddunt

infelicem, & insomnem; hæc autem solet esse causa potissima, qua ratione noctes sint graues in languẽtibus, propter nouam mineram, nouos putrescentes succos; inde sequitur natiuum calorẽ fatigari pro eorum concoctione facienda, & per consequens grauiores reddunt noctes.

Tertium caput est, propter varia genera sympthomatum; sic videmus copiosos, ac biliosos vapores sursum tendentes ad partem animalem paraphreniticos causare homines.

Ad partem vitalem, aut naturalem decumbentes, aut coctiones turbando, aut reddendo corpus plus iusto ignitum, non possunt languentes, nisi noctes transigere grauissimas, principium euidentissimum partibus obsessis a prauitate vaporum illas obsidentium.

Aut quarto crisis ratione, sic placuit Hyppocrati. 2. aphoris. 13. quibus crisis futura est, nox præcedens molesta est; futurum ergo opus naturæ criticum supponit noctem præcedentem molestam, propterea quod calor fatigatur, turbatur coctio, irritatur expultrix, deniq; opera naturæ confunduntur omnia; quò fit, vt languẽs molestissimam transigat noctem ab vno opere naturæ turbante omnia.

Accedit quinto, vt aliquando Ventralis sit affectus, qui facili negotio laborem infert calori, inde sequitur per phisicam actionem, & reactionem in crudos ventriculi succos, aut ratione obstructionis pri-

marum

marum viarum, meſenterii chylificatione turbata, opera ventis ruant omnia, ex quibus ſequitur conſequi diarreos, celiacos, aut lientericos fluxus, iuxta caloris ventriculi qualitatem, quantitatem, ſeu robur; deſero externas cauſas affectionis nocturnæ, vt copioſæ potationes, deſtillationes ad pectus, animi paſſiones, externi nuntii; ſed ſolum philoſophari in internis cauſis, hæc habuimus docere; Philiſci labor nocturnus, fuit magnus, tum propter nouam acceſſionem, vt arbitror, tum propter nouam putredinem malignam, non potuit quieſcere, ſigna quippè euidentiſſima naturæ grauatæ a prauo ſucco, & copia illorum; hæc ergo euenere prima die affectus.

Poſtridie omnia euaſerunt grauiora. Veſperi a clyſteri melius habuit, nocte quieuit.

Quaſi vellet dicere Hyppocrates; ſecundā mineram, ſeu putredinis focum fuiſſe validiorem, differentem a priori in ſympthomatibus, in afficiendi modo, & via; exacerbatio vero maior efficitur ex motu materiæ de nouo putreſcibilis, quæ nouum ſuſcipiens focum ſympthomata parit vehementiora; habet autem, melius habuiſſe poſt clyſterem; non quod cauſa morbi fuerit educta mediante clyſtere, quoniam clyſteres, vt infra diſputabimus, ad prima inteſtina pertingunt, neque poſſunt cauſam morbi educere, niſi magno temporis interiecto

curricu-

curriculo, ſed aliqua fecuum eductione facta, viſus eſt languens leuior factus.

Tertio ad meridiem viſus eſt liber a febre.

Sed hic iunior peteret, quidnam velit Hyppocrates per hæc verba, viſus eſt liber a febre, & quot cauſæ id poterunt demoſtrare? Arbitror cauſas eſſe poſſe multas, ex rei natura philoſophantes. Prima eſſe poteſt, quoniam natura nihil audet contra cauſam morbi fatigata nimis; ſecunda, quoniam triplex eſt pugna inter naturam, & morbum, aut quia morbum ſuperat natura, aut quia naturam ſuperat morbus; aut neutrum, neutrum, poteſt eſſe interdum victoria neutra, morbo nihil apparente ſupra naturam, nec e contra.

Ficta declinatio febris quot cauſas habeat hic inueſtigatur.

Tertia propter virtutis iacturam, quoniam febres iſtæ puſillæ cum ſint, circa tactum adeò decipiunt medicos præſtantiſſimos in arte, vt non videatur languens febricitare, quæ propter dicimus multoties languentem apparere liberum a febre, eſt tamen febris acutiſſima, & mali moris; quarta propter extremam in corde putredinem, quæ vitalem calorem opprimendo, & extinguendo reddit homines veluti munes a febre: quinta propter ſymptomata apparentia circa facultatem animalem, naturalem, & vitalem; nam animalis aliquando apparet bona, & ſana; vitalis verò ſuccumbit, & ſic iudicantibus nobis; circa faciem languentis dixit Hyppocrates viſus

eſt

est liber a febre: sexta, quoniam ea die mouebatur minera benigna, quæ secum afferebat benigna, & non sæua sympthomata: septima propter naturam febris, quia quiescebat exterius, perturbabat autem interius, vt barbaris videar vti verbis: octaua, quoniam nulla præcesserat crisis in hac febre; sed oppressa videbatur natura a copia humorum, atque adeó cum nulla præcesserat vacuatio, neque vacuationis genus, quod posset turbare naturam, pro co-ctione facienda, aut critico opere: nona quoniam habet Hyppocrates quod iis, quæ præter rationem eueniunt, fidere non oportet, secundo aphoris. 27. erat enim declinatio ficta, & remissa, & apparens; immo vero regulis Hyppocratis sanè repugnans, & febrium naturis: habemus enim ex Hyppocrate, quarto aphoris. 43. vbi febres tertia die fortiores fiunt, in magno vitæ periculo versari languentes, proponens doctrinam de acutis febribus diuinus senex; febrium autem naturis repugnans; etenim ea est natura tertianarum, aut febrium a phlogosi dependentium, vt tertia die exacerbeat magis, & sympthomata euadant vehementiora; die autem hac tertia omnia visa sunt remissa, & iure optimo timenda erant mors, & citissima, quibus omnibus accedit doctrina eiusdem Hyppocratis, de Hermocrate loquens, cui dixit, omnia die vndecima videbantur remissa. Verbum ergo remissionis a medicis omnibus esset memoriæ continendum, sine iudicio

pronun-

pronuntiantes euentum morborum, dicentes, languentes esse immunes a febre; ignorantes enim intermissionem diferre a remissione, in varios labuntur errores.

Quam veritatem sequentia verba huius hystorię demostrant, nam cum iisdem, immo vero validioribus, fuit consequuta febris, sympthromatibus.

Sub crepusculum febris acuta eum corripuit.

Circa quæ verba tres vide legendi modos apud scribentes. Montanus legit, sub crepusculo, Mercurialis circa vesperas, & circa occasum solis. Vallesius legit (deinceps) vtcumque tamen sit, arbitror lectionem Montani primi præceptoris mæthodici post Hyppocratem, Galeno ex parte deposito, esse satis Hyppocrati consonam; nam post dimidium noctis arbitror nouam correspondisse mineram primæ accessionis, primæ diei; quod autem hoc sit verum, inquit Hyppocrates (febris acuta corripuit) quod verbum primo proposuerat, quæ sane accessio præcedens quartam diem, & accessio valida correspondens primę diei cum eisdem plenitudinis signis, post quam cum sudore, siti, linguæ ariditate, sed primum signum plenitudinis ostendit inditium.

Opi. Montani Verior.

Notandum tamen circa practicos, arbitror dari linguam nigram, & linguam aridam; lingua siquidem arida, & nigra ardentis febris est inditium; ni-

Notet prastici ex Gale. lib. aduersus Lycum dari linguã fumosam, seu linguã fuliginosam, & linguam aridam.

gra vero fuliginibus coniuncta ex humore melancolico pendet, vt primo de locis affec. scilicet placuit Gal. talis siquidem videbatur focus internus ex inflammatione lienis dependens, vt lingua arida, atq; nigra nimis esset, ac perduraret.

Vrinam nigram reddidit, noctem grauem habuit.

De nigritie vrinarũ longa nimis esset tractatio, nisi interpretis transcenderem limites; breuissimè tamen omnia perstringendo, quatenus, & theoricum, & practicum perstringit opus, arbitror dependere ex variis causis; primo ex ui, ac febris ardore, summoque feruido calore, eoque magis cum inflãmatio esset in viscere lienoso.

Dub. quare vrinarũ nigrarũ nõ meminerit.

Sed licet dubitare in hac historia, vnde est, vt ter sit facta mentio vrinarum nigrarum? Cui dubitationi satisfacientes, dicimus, primam vrinam nigrã fuisse sine contentis, secundam fuisse cum hypostasi; tertiã habuisse originem ab extincto calore; non est ergo mirum mentionem fuisse ter factã vrinarũ nigrarum, a variis causis dependentium, quod sane de nigris vrinis negotium satis necessarium est, ad practicum actum non parum conducens, propterea in vrinis nigris insistendum, atq. de illis parum philosophandum.

Illud in primis notandum, nigritiem in vrinis esse causatam, aut a mera inteperie, aut permistio-

ne materiæ: si ab intemperie, aut assante, aut extinguente; si prima intemperies, ea erit summe calida, adurens massam sanguinis: si fuerit intẽperies summe frigida, ea siquidem poterit calorem extinguere, humorumque massam ruere. Aut a permistione materiæ, sic videmus bilim flauam tingere, primo epidem. commen. 2. 72. ab assata ergo flaua bili fieri lotia nigra censemus cum Galeno; ea tamen conditione esse donata, vt aliquando vrina sit crassa, interdum tenuis: an autem possit tenuitas cum nigritie consistere? Breuiter respondetur cum Gal. 2. prognost. 32. primo epidem. tertio text. 20. de Herophonte mingente lotium nigrum, & tenue primo de crisibus 12. appellatur autem tenuis vrina, quoniam caret contemptis: de extincto ergo calore nigrities extrema, ac mors est intelligenda; prolixa ergo tractatio esset de nigris vrinis, nisi medicinæ duces Hyppocrates, atque Galenus, omnia traddissent; post eos vero Arabes Niccolus, Auicennas, Actuarius, Iacobus de partibus, quos neoterici quamplurimi sunt insecuti, Argenterius, Montanus, Mercurialis, Capiuacceus, & alii in tractationibus particularibus. Nos vero ne transcenderemus interpretis munus, satis iudicamus, quæ docuimus.

Vrinæ nigrities vnde & quæ sint causæ.

Delirauit.

Sympthoma euidentissimum facultatis animalis imaginantis læsæ, atque raptus materiæ sursum,

sed huius vitiatæ actionis, quænam fuerint causę, liceat eas methodo inuenire, cum mei muneris sit, quæcunque profiteor, ea omnia methodo docere, ac tradere.

Delirium aut pertinet ad facultatē, aut ad instrumentum commune, per facultatem autem intelligendum arbitror cerebri temperamentum; quod cum vitietur, necessarium erit ipsum etiam vitiari, atque corumpi; si corrumpitur aut a maligno humore, aut a bilioso succo in eo contento, aut alterius farinæ cerebrum labefactatur, atque dissoluitur.

Si de instrumento communi loquamur, illud dicitur esse spiritus, qui aut debilitatur media diminutione, aut dissipatur, aut corrumpitur; inde videmus delirii species esse quam plurimas ac varias, quę pendent ex debili calore dissipato, distracto, atque diminuto, eodem natiuo calore, sicut in senibus melancolicis hominibus morbosis, ac languentibus, aut effusione sanguinis facta, aut defectu spirituum animalium, qui cum sint phantasmatum omnium subiecta, procul dubio sequitur, vt deficientibus illis, phantasmata confundātur omnia; sic senes in vltimo senio constitutos videmus fere omnes deficiente calore, deficientibus spiritibus, & turbatis phantasmatibus vt diximus, sed de hoc satis, Dabitur siquidem alibi locus disputandi fusius.

Quarta die omnia fuerunt exacerbata, vrinæ erant melioris coloris.

De accessionis vehementia maiori, non miror, propterea quod ea die mouenda erat minera maligna, & per consequens sympthomata secum ducebant vehementiora, qua vero ratione apparuerunt variæ vrinæ, in controuersiis declarabimus.

Stillauit è naribus die quinta, Vrinæ melioris coloris.

Stillicidii apparitio duo docet, eaque signa esse pernitiosissima, & Galenus, & methodica ratio insinuant, quantum ad Gal. primo proret. comm. 1. commen. 1. dicit quod absoluta morbi malitia significatur; si autem ad methodum recurramus, dicimus esse sympthoma pernitiosum, propter varias causas, de quibus in controuersiis, satis sit scire pro nunc amicum, & familiarem humorem a natura foras expelli, intus autem detineri inimicum, ac prauum.

Extremitates vndequaque frigebant.

Si sympthoma aliquod reddit morbos pernitiosos, est præsens. Cuius sane sympthomatis pernitiosi variæ esse possunt causæ; primo loco caloris conuocatio ad partem inflammatam, propterea quod lienis patiebatur inflammationem: secunda propter eiusdem caloris depauperationem: tertia causa esse

pote-

poterat insignis illa putredo, a qua dependet mala illa qualitas, appellata a Galeno, natura veneni; immo hoc sympthoma cętera antecedit; limitatur vero hæc doctrina a Galeno septimo aphoris. comm. primo, vbi habet, in morbis acutis frigus extremorum læthale, Galenus autem in tribus casibus docet, regulam hanc non esse veram; primo in ætate senili: secundo in morbo cronico: tertio in anni tempore frigido, in quibus casibus Hyppocratis regula non est censenda vera.

Minxit nigra, dormiuit, obmutuit.

Tertia hæc mictionis nigræ mentio ab Hyppocrate proposita, supponebat calorem esse proximum extinctioni, atque adeo mortem iustare, neque arbitror illum fuisse verum somnum, sed vigilandi potius impotentiam, sicuti videmus conniuentibus oculis homines dormire more leonum: nulla enim esse poterat causa, quæ potuisset cerebrum irrigare, ac humectare, sed omnia vergebant ad ignem atque incendium internum.

Obmutuit. Vallesius dicit obmutuisse, non propter morbum aliquem, vel linguæ, ad musculos aliquos petinentem, sed propter facultatis lapsum, thoracem mouentis, aut propter magnam hominis conturbationem, sicut accidit multis, qui ex repentino timore aphoni fiunt.

Peccatū Valles. Sed errauit Vallesius, quoniam vitium non erat

pen-

pendens ex motiua facultate thoracis, cuius musculi etiam ad vocem edendam ex parte concurrunt, quoniam etiam aphoni loquuntur, sed cum vitiata voce, ac si catarrali fluxione essent irrigata instrumenta vocis, sicuti catarrosis accidere uidemus: dixit ergo Hyppocrates obmutuit, non autem aphonus euadit, & si aliqui repentino timore afficiuntur, non loquuntur, per aliquod instans non loquuntur: loquuntur tamen deinceps, significantes, quæ in animo essent passiones, illasque explicant. Accedit secundo contra Vallesium, quoniam aphoniæ causæ multæ sunt, vt Hyppocrates primo proret. comm. primo. 24. dicit, aphonias cum resolutione factas, esse malas: qui autem aphoniam patiuntur, scapulas mouent, ita vt super vestimenta motio perspiciatur; viarum ergo fit angustia, respirationi deseruientium; qua propter si aphonus euasisset de aphonia, loqutus fuisset Hyppocrates, & non de mutitate, cum longe distinguantur, immo vero genere.

Insuper languens delirauerat die quinta; deliria vero adiuuant ad motus phisicos edendos, ergo motiua facultas thoracis non erat lapsa pro motu, immo debuisset delirium adiuuare ipsum motum, sic videmus experientia quotidiana multos prope mortem existentes, vehementissimos edere motus ratione inflammationis cerebri.

Mercurialis varias reddit rationes, & causas, vel quia mens, & imaginatio nihil operabantur, aut

quia

Probabilis opinio Mercur. quia instrumenta scilicet musculi, erant impediti, propter siccitatem, aut fortasse quia thorax illustratione cerebri uidebatur esse orbatus, ut inde sequeretur mutitas; sed rationes istæ Mercurialis sapiunt probabilitatem.

Opin. nostra verior. Nos autem asserimus mututatem consecutam fuisse, propter natiui caloris influentis extinctionem; omnia siquidem animalis opera si ad animam siue ad naturam pertineant, omnia calore indigent, tanquam primo animæ instrumento simul cum spiritibus, quæ doctrina uerissima cum sit existente influente calore fere extincto, qua ergo ui poterant musculi linguam mouere, atque articulare? quod comprobatur ex eodem Hyppocrate vbi habet, totus frigebat, liuescebat, neque calor poterat euocari foras, euidentissima quippe signa extincti caloris, aut proximi extinctioni.

Sudores frigidi.

Euacuatio hæc sudoris frigidi morbi pernitiem ostendit, quod prognosticum inter aphorismos collocauit Hyppocrates quarto aphoris. 37. & 38. si sudores fuerint frigidi cum acuta febre, mortem. Ostendit siquidem tantam esse in corpore animalis humorum copiam, atque multitudinem, vt neque a seruili, neque a natiuo possit superari calore, & ea, quæ est in animalis corpore natura, aut est extincta, aut etiam proxima extinctioni, & quamuis cutis

frigida

frigida sit; quæ vero sub illa sunt, comburuntur: hęc Gal. in comm. 37. quartæ particulæ.

Extrema liuescebant propter caloris extinctionē. Die sexta periit.

Temporis huius meminit Gal. in comm. dubitat duo; primo, qua ratione die sexta, non autem die octaua, aut prius; secundo, quare die pari?

Ad primum Respondetur, quod si Philiscus fuisset validioribus viribus, die octaua periisset, si vsque ad illam diem morbis fuisset extensus, & signa, cæteraque sympthomata non fuissent adeò læthalia; etenim cum tertia, aut quarta die vrinas nigras reddidisset, apertè demonstrabat morbum cachoetem, sudores deinde consecuti frigidi, atque stillicidium sanguinis ostendebant, exitiosam mortem esse in propinquo.

Quantum ad mortem die pari accidentem, Respondetur cum eodem Galeno, quod quotiescūque dies quartus est sicuti tertius, grauia habens sympthomata in morbo acuto, iudicium breue est expectandum iusta pares dies; & quoniam accessiones erant affligentes diebus paribus, propterea diebus paribus afflictio est maior, & mors necessario consequitur, & Hyppocrates quasi rei nouæ, atque circa actum consideratione dignum, nouam proponens doctrinam, atque obseruationem dignam, & perpetuo tempore memoriæ mandandam, dixit, accessiones erant diebus paribus. An autem virtus maior

ior habebitur in paribus, an imparibus diebus, controuersia peculiaris proponetur.

Respiratio Magna rara quasi reuocanti similis.

Respiratio magna rara videtur esse nuntia delirii, & reuocanti similis, quasi dicat, vt recordanti, & quasi ægro obliuiscente, aut nesciat cohibere, aut a qua partes sciat auspicare, hęc docet Galenus in commento.

De perpetuis symphthomatibus in historia Philisci examinandis.

Nouum atq; difficile problema examinati. Nouum videtur Hyppocrates proponere problema. Vnde est, vt defuncto ægro symphthomata videatur recensere noua, quæ aut poterat in historiæ progressu recensere, aut in calce eiusdem: sed mirū cuilibet videri poterit, & non paucam reddit admirationem, defuncto ægro noua examinare, proponereque symphthomata. Porro consideratione digna proponitur difficultas, quam neque Montanus, neque Vallesius considerarunt, viri alioquin historiis epidemialibus apprime clarissimi.

Mercurialis libauit hanc difficultatem, dixitque, aut vanum, aut superfluum fuisse repetere de respirationis læsione, aut quod Hyppoc. celeri quoddam calamo scribens, fuit oblitus.

Lapsus Mercur. Sed miror Mercurialem, qui omnia vidit, pauca

tamen fuit contemplatus, & tanquam index librorum omniũ obseruatur ab omnibus, fortasse Hyppocrates erat obliuione redarguendus, primus medicinæ parens? qui omnia adinuenit, omnia nouit, neque repetitione aliqua diminuta, aut immoderata poterat redargui, immo in vltimis verbis huius historiæ magna ingenii diuinitas obseruatur.

Mea tamen est opinio, diuinum senem post narratam historiam respondisse tacitæ obiectioni; nam cum dixisset, periit die sexta, posset aliquis dubitare, ac petere, quare tam citissimus morbi euentus? etenim præcedens febris acuta, sudores ab initio, linguæ ariditates, sitis, vrinarum nigrities pluries repetitæ, sanguinis stillicidia, hęc & alia similia acutiem certe poterant demonstrare simul cum copia humerum, atque prauitate eorumdem; sed euentus perniciosus die sexta factus, hoc poterat dubitandi locum legentibus tribuere; huic ergo tacitę obiectioni Hyppocrates quasi respondens ait, spiritum fuisse rarum, & magnum, lien in tumorem intumuisse, quasi vellet dicere, euẽtum fuisse citissimum, & perniciosum; quoniam languens duo petiebatur inflãmationum genera; alterum in cerebro, alterum in liene, & per consequens obsessus duplici abscessu, altero in cerebro, altero vero in liene prope cor existente; miror quousque perdurauerit vsque ad diem sextam; debebat siquidem perire die quarta, non recedens ab Hyppocrate lib. 3. de morbis vulgar. com-

Opin. nostra subtilior solues quæsitum.

T 2 men-

mentario 3.74. vbi Hyppocrates proponit historiã phrenitici, qui periit die quarta, delirauit æger perpetuo tempore, ergo erat phreniticus, ex altera parte tumor lienosus quid poterat cordi inferre, nõ nisi prauos, igneos, ac malignos vapores, qui ponentes cor in calefacto esse simul cum cerebro consentientes, potuerunt mortem conuocare citissimam, duplici membro inflammatione obsesso cerebro, ac liene; in quo tanta arteriarum copia continetur, vt Galenus clare docet quarto de vsu part. 15. atque confirmando subdit sudores perpetuo tempore fuisse frigidos vtroque viscere existente inflammatione obsesso; semper siquidem fuit febris lipiria, a prima die maligna, qua in re miror Vallesium cecutiisse, qui censuit si febris fuisset maligna, tunc non fuisset frigus superueniens, sed pathognomonicum; sed peccato manifesto videtur errare, siquidem sudores perpetuo tempore fuissent frigidi; ergo non poterãt esse cum partium caliditate. Insuper tam cerebrũ, quam lien patiebantur duo genera inflammationum, ergo non poterant partes semper frigere existentibus duobus visceribus inflammatis, cachochimia ergo fuit febris, & praua. Vt autem doctrina hæc dilucidior appareat, Hyppocrates, & Galenus tertio aphoris. text. primo statuunt, frigus partium extremarum læthale esse signum; in tribus autem casibus absoluit præsentem sententiam, eamque limitat Galenus in morbo cronico, in tempore anni, frigido,

Lapsus Valles.

frigido, & in ætate senili, atque nares, pedes; aures, extremasq; partes esse frigidas, nihil absurdum; accidit tamen aliquando magnis viscerum inflammationibus, cũ quibus continuæ consequuntur febres: frigent enim extrema, & interiora vruntur; fit autem hoc more cucurbitulæ, trahentis humores intus, quæ doctrina verissima cum sit, clarè constat, nõ potuisse esse sudores summe frigidos simul cum cerebri, ac meningarum inflammatione, propterea quod cerebri inflammatio vicinas partes igneas reddit omnes; sic videmus ophthalmias in phreniticis caluariam, thoracem, atque partes omnes circum adiacentes, flammeo calore esse affectas. Accedit his omnibus non semper potuisse calorem febrilem intus coerceri, sed in accessionum incremento ad extra febrilem, atque igneum diffundi calorem; in principiis autem diutius frigere partes, & per consequens, non poterant omnia eodem tempore semper frigere, tãquam frigus esset pathognomonicum signum; ad quæ confirmanda verba prima huius historiæ ostendunt: nam aliquando visus est liber a febre, ergo non fuit omni tempore frigidus, supponentes verissimam Galeni doctrinam, non posse præternaturalem calorem semper in visceribus eodem gradu perdurare, sed foras expandi saltim circa loca, & vacua arteriarũ, inflammatis spiritib. vitalibus intensiori facto febrili calore, quæ omnia non possunt tanquam in clibanos intus coerceri, sed fo-

ras irruens saltim ad loca arteriarum receptacula excrementorum cordis, & per consequens per temporum interualla adduri obseruamus, sed de hoc satis.

Dubit. Solutio Hyp. non cognouit pulsũ sed loco illius vtitur respiratione

Sed hic dubitaret aliquis, vnde est, vt tam in hystoria prima Philisci, quam Sileni, meminerit Hyppocrates respirationis magnæ & raræ? Respondetur, Hyppocratẽ non cognouisse pulsum, & loco illorum respirationis meminerit, atque in vtroque motu respirationis, & pulsus datur diastoles, & sistoles, & nulla datur differentia inter respirationem, & pulsum; quare inter motum pulsificum, & respirationis, calor vitalis augetur, atq; cõseruatur, quare pari passu inceduntur respiratio, & pulsus; etenim sicut datur pulsus magnus, & paruus, ita datur respiratio magna, & parua; si datur respiratio celer, & tarda, similiter pulsus celer, & tardus; finem tamen habent vnum; distinguntur tamen ambę actiones: etenim diuersis gaudent facultatibus; animalis siquidem facultas respirationem diligit, est autem respiratio partim vitalis, partim animalis, partim voluntaria, partim natura concurrente, semper tamen censui in doctrina Galeni mistam esse actionẽ partim animæ, & partim naturæ. Ad animalem ergo pertinet respiratio, ad vitalem pulsus, distinguntur, & secundo ratione instrumentorum deseruiẽtium; cordi siquidem deseruiunt arteriæ, thorax autem, musculi, multęque aliæ partes adiacentes cerebro

respiranti homini, primo prognost. 24 & 25. statuit Hyppocrates magnam siquidem habet vim respiratio in morbis acutis vel ad salutem, vel ad mortem terminantibus; qua propter concludendum Hyppocratem huius actionis fecisse mentionem, ac si esset motus pulsus, & Gal. in commento. 24. respirationem magnam, & raram esse nuntiam delirii dixit, cuius rei causam reddens idem Galenus dixit, similem esse talem actionem obliuioso homini, qui nesciat quando cohibenda est respiratio, & quando iterum auspicari incipiunt eandem respirandi actionem. Tertio distinguntur, quoniam respiratio potest cohiberi, pulsus autem non; fine tamen vno gaudent omnes, videlicet refrigerare, & ventilare, vapores expellere, denique vitalem calorem conseruare, eumque augere.

Lien tumorem patiebatur rotundum.

De figuris tumoris, & abscessus multa essent a me ponenda atque docenda, nisi breuitati studentes, dicamus, abscessus figuræ rotundæ, materiæ cruditatē, massam humorū mixtā, non separatam a natura arguere; non enim erat scirrus, sed inflammatorius tumor, cum materiæ cruditate multa; non ignorantes, eam salubrem abscessus, figuram esse pyramidalem, ad acutum vergens; quod si aliis sit figuris, sicut rotunda inflammatio duo in se uidebatur continere pernitiosa signa: primum quoniam erat in vi- *Signa abscessus, atque tumorum quot sint.*

scere

ſcere nobili intrinſeco, ſcilicet in liene : ſecundum, quoniam figuram habebat rotundam, non autem pyramidalem, & per conſequens abſceſsus fuit prauus, a quo ſuper orta febris viguit.

De diebus paribus iam in controuerſiis diſputabitur, qua ratione mortem prædicere magis, quam ſalutem oportet; qua in re non poſsum non redarguere eos medicos, qui ſingulis viſitationibus ſingula proponunt prognoſtica, vt aliquid illorum veritati accedat, nihil veri de tempore, de euentu certo præſagientes, eiuſque modo: hoc enim eſt doctiſſimi medici arte Hyppocratica digni, certa a primis diebus proponere præſagia, eaque ſub certis legibus artis ſtabilire, euentaque ſub tempore præfixo expectando obſeruare; ſunt tamen non parum redarguendi alii medici, qui morbi ſimplicis proponentes euentum, pernitioſum verentes, de aliquo prauo euentu; praua, ac pernitioſa latitare ſympthomata, carentes methodo, verentur omnia, ſimplicemque morbum formidant, innixi malæ intelligentiæ Hyppocratis aphoriſticæ; iis, quæ præter rationem eueniunt, fidere non oportet, neque timenda ſunt mala, quæ præter rationem eueniunt; quare interdum fidendum, interdum non fidendum, ad prognoſtica tamen certa facienda, quot ſint neceſſaria, alibi dabitur occaſio commodius docendi, præter ea, quæ neoterici ſcriptores, vt ſubtiliſſimus Argenterius, & alii, literis tradiderunt.

Methodus

Methodus curandi hunc affectum cum auxiliis. Cap. XXXII.

LAborauerunt ante nos, qui prouintiam hanc suscepere enodandam, vt aliqua docerent de modo curandi languentes Hyppocraticos. Nos vero quoniam ab initio onus subiuimus interpretandi singula Hyppocratis verba, instantibus discipulis, illisque summè petentibus, qui lectiones publicas audiuere attentius, illis cupientes satisfacere, & methodum & remedia illi indicata, docere conabimur: cupientes ergo veram methodum medendi venari ad languentes alios relatione habita, erimus coacti multa supponere verissima, quæ ex narratis, ac bene declaratis colligenda decreuimus.

Illud in primis supponendum erit, febrem fuisse acutissimam, malignam, atque vndique prauam cum delirio perpetuo, & inflammatione lienis, ergo duo sunt colligenda, primum est, materiam fuisse turgentem. Secundo inflammationem obsidere duo viscera, cerebrum, & lien; cerebrum ratione delirii perpetui; lien, propter tumorem apparentem: in turgenti vero materia reperio humores malignos, & prauos, motos ad uiscera nobilia. Secundo materiæ prauitatem, eiusque venenosam substantiam illi innixam, copia probatur ex sudoribus in primis morbi diebus, ex laboriosis noctibus, ex geminatis

acceſſionibus, paribus diebus inuadentibus; prauitas vero materiæ ſurſum tendentis, ſigna euidentiſſima aderant cerebrum, cor, lien, denique materiæ lapſus ad linguam, & quod peius eſt, nihil natura demandante ad partes euacuationi deditas, ſed ad principes ſolum ad cor, cerebrum, lien; malignorũ ergo ſuccorum copia, ac motus videbatur eſſe magnus, de prauitate ſimul cum quantitate coniuncta, non eſt multum laborandum in illa opinione probanda; etenim deliria perpetua, ſtillicidia ſanguinis, vrinæ nigræ pluries apparentes, furfuraceæ, extremitatum frigiditates, lienis, ac cerebri inflammatio, omnia hęc, & ſimilia humorum prauitatem teſtantur. Quare concludendum, febrem Philiſci fuiſſe prauam, & cachoeticam, a duabus fotam, atque conſeruatam cauſis, ſcilicet a quantitate, ſecundo a praua qualitate humorum.

Quantum ad inflammationem, arbitror fuiſſe bilim cum ſanguine ſimul coniunctam, vitellinam, ſcilicet, & eruginoſam, quarum ſpecierum ea eſt conditio, atque natura, vt quotquot pariunt affectus, eos malignos cenſeamus, atque cum Galeno aſſerimus.

Quę ſi vera ſunt ſicuti veriſſima principia, neceſſarium erit colligere varias indicationes, videlicet, minorandos eſſe humores, eoſdem eſſe quamprimum euacuandos ratione turgentiæ materiæ: ratione vero inflammationis vtriuſque viſceris, reuellentibus,

tibus, deriuantibus, refrigerantibus contemperantibus materiam, immo vero repellentibus in principiis, ne inflammationes potuissent firmari, atque eradicari in visceribus. Arbitror propterea Hyppocratem statim accersitum, secuisse venas varias, & vniuersaliores, & minus vniuersales, & remotas, & vicinas, ita exposcente methodo curatiua Galenica primo aphoris. 23. in tribus casibus, Medicum debere mittere sanguinem vsq; ad animi deliquiũ, scilicet in inflammationibus, doloribus, atq; ardentissimis febribus, quamuis illius Hyppocrates non meminerit.

De pharmaco nulla fit ab Hyppocrate, sed solius balani, atque clisteris, vt propterea censuerit Mercurialis abstinuisse propter eorum summum calorem; vtebatur enim veratro, atque peplio Hyppocrates.

Sed dubitatur, fuitne indicatum medicamẽtum purgans?

Respondetur affirmatiue tum ratione turgentiæ materiæ, tum ratione sympthomatum prauorum, tum etiam ratione inflammationis vtriusque visceris. Talis enim ac tanta fuit turgentię succorum colluuies, ac prauitas, vt impotens facta natura, eos concoquere, atque superare, morbo maligno, citissimo euentu, eoque pernitioso succubuerit.

Conueniebat ergo pharmacum, sed leniens, vt est manna, succus rosarum persicarum, tamarindi, reubarbarum, & alia simplicium genera.

Sed quę dies fuisset aptior pro corporis purgatione? Arbitror, diem tertiam fuisse aptam ad corporis purgationem, sumpta indicatione a die secunda, sub qua sympthomata grauia facta fuerunt omnia; propterea tempus magis aptum ad purgationem corporis poterat esse dies tertius; & quamuis dies tertius sit primus decretorius, dies tamen illa tertia fuit quieta languenti; die vero eadem accessio videbatur leuior, quoniam minera, quæ mouebatur, erat quietior eadem die tertia; ergo tunc erat operandum, vt Galenus primo aphoris. 23. sed miror Mercurialem de pharmaco veritum propter morbi sæuitiem, asserentem, non fuisse conueniens propter sæua sympthomata prosternentia vires, quare cum essent factæ imbecilles, non erat conueniens medicamentum, ne vires magis debilitarentur, propterea quod vrinę erant crudę; quod autem vires essent imbecilles, demonstrabant refrigerationes partium extremarum; quare concludit alterantia magis fuisse conuenientia medicamenta, quam euacuantia; etenim quę spes esse poterat pro hoc languente curando, aut huic morbo similis morbus, quam statim pharmacare?

Contra Mercur.

Sed errasse in multis Mercurialem demonstrabo.

Argum. cōtra Mercurialem.

Primo, quoniam vires non erant prostratę die tertia, in qua melius habuit, ergo ea die erat operandum. Secuudo materia erat turgens, ergo eadem

die

die etiam obstante cruditatis in vrinis signo. Tertio scimus in via Galeni quod quo magis durat putredo, eo magis vires debilitantur, vt quarto aphor. 10. quo loco docet in morbis acutis eadem die esse operandum, atque adeo fieri vires imbecilliores in dies, propter augmentum putredinis ad vicina viscera accidentis. Quarto deliria, atque sudores ab initiis demõstrabãt copiã, & malam qualitatem innixam materiæ; ergo exposcebat medicamentum ad huius materiæ eradicationem: nam poterant firmari in variis partibus, sicut de facto ita fuit; nam erat solis prognosticis derelinquendus, verendo de viribus, & vrinarum cruditate; vt censuit Mercurialis: sed indicationibus curatiuis vtendo, eas quam primum prosequi; pharmacandus ergo erat die tertia, non ratione numeri, quoniam dies non indicat, sed ratione nouæ mineræ, quæ mouetur, & per consequens materia ea die mota, erat benigna: secus dicendum de die quarta, in qua grauiora euaserant omnia, atque adeo videre, quomodo se haberent, & sequerentur accessiones febrium iam pharmacato corpore; cuius autem conditionis esse deberet pharmacum?

Respõdetur, debere esse magis leniens, quam eradicans, minorans, & vt Arabes dicunt, (Duce Auicenna) forte debile, eoque magis, cum colluuies magna esset in venis omnibus, & inflammatio esset duplex, duo viscera afficiens, videlicet, partem animalem, & lien: vtrumque ergo viscus inflammatum *Medicamentũ cuius conditionis esse debuisset Filisco.*

expo-

exposcebat leniens, vt est manna, tamarindi, cæteraque genera simplicium, quæ & refrigerandi, humectandi, relaxandique, & primas venas expurgandi, cum simplicibus sit connata facultas, & partes dolore affectas leniendi, quæque inflammationem contrahebant, atque bezoartica appellata auxilia, & post corporis purgationem approximare, vt omnis putredo à tota substantia dependens, prohiberetur, & summus ille gradus antitodis coerceatur cum teriaca, boloarmeno, succo limonis, succo citri, succo sonci, bezoarticis vtendo; extrinsecè vero, vt praxis partenopea nos docuit; oleum Serenissimi Ducis Ethruriæ circa regionem cordis apponendo epithemata cordialia, vt empiricorum schola formulã docet, apud quos legant.

Controuersiæ circa historiam Philisci examinantur. Cap. XXXIII.

QVoniam ea apud peripateticos censenda est vera opinio, quæ ne dum firmissimis est innixa fundamentis, verum etiam quodlibet problema soluit in contrarium: absoluta ergo historia partim narratoria, partim doctrinali, superest, vt controuersias circa historias contingentes, examinemus.

Con-

Controuersia Prima, vtrum febris Philisci fuerit Inflammatoria.

Huic primæ controuersiæ a nemine è scriptoribus propositæ, liceat breuiter respondere, febrem Philisci fuisse ardentem, malignam, cum inflammatione lienis: quam opinionem liceat multis comprobare. Primo ex signis ardentis febris; nam 3. epidem. comment. 3. text. 34. lingua aruit, sitiuit, calor erat maximus, & si non exterius, saltim circa viscera; nigricantia lotia apparuerunt deliria, sanguinis stillicidia; hæc de ardenti; de prauitate vero nō est in multis immorandum, primo ex sympthomatibus in excretis. Secundo ex actione lesa. Tertio ex affectu corporis; sudores ergo prima die apparentes vrinarū nigrities, stillicidia sanguinis. Quantum ad actiones lęsas animales, vitales, naturales, omnes legimus, atque obseruamus labefactatas. Quantum ad animalem deliria, mutitates, vitiatæ actiones respirandi, accessiones diebus paribus; circa affectum vero corporis, lienis tumor: q̄ autē lien fuerit affectus, breuiter liceat demōstrare: etenim in tumorem fuit elatus, sudores frigidi, partes vndequaque frigebant cum liuore; signa quippe euidentissima inflammationis internę, immo arbitror obitum ita celerē fuisse, causatum ex lienis inflammatione;

Febris Filisci fuit ardēs maligna cum inflāmatione lienis.

tione; lienis enim constitutio sanguinem allicit melancolicũ, crassum, fæculentum, subtilior tamen fit ope arteriarum, attenuatur; hic autem oritur magna controuersia, & contradictio antiqua in scholis, nam Gal. 4. de vsu partium. 15. docet, lien nutriri sanguine subtili, & nigro; hepar tamen nutriri sanguine crasso, & rubro, ex alia parte Galenus secundo de naturalibus facultatibus, cap. 9. statuit, in liene contineri sanguinem crassum, receptaculum alioquin feculenti sanguinis ab hæpate demandati, quæ contradictio breui negotio terminabitur, si dicamus, verum esse sanguinem demandari crassum. Verum tanta est copia arteriarum, vt fiat magna attenuatio sanguinis, & per consequens quod erat crassum densum feculentum, tenue, subtile, nutrimentale euadat, quæ omnia sunt adscribenda vitali calori vigenti, ope arteriarum in magna copia existentium; memini contradictionem hanc in partenopea Academia inter italos, & Hyspanos fuisse controuersam; sed de hoc satis. Ad rem ergo deuenientes dicamus, existente in liene inflammatione, cum ibi copia arteriarum reperiatur non exigua; cordi, fuit, communicata phlogosis, quæ, & ardentem simul cum prauitate concomitante partium vicinitate febrem peperit prauissimam.

Difficultas proponitur consideratione digna ex verbis Hyppoc.

Sed miror Hyppocratem euacuationis per secessum non meminisse in hac Historia, oppositum fecit in Sileno, & aliis languentibus, de quibus infra, sed

ſed ſolùmodo vrinarum mentione repetita, ſolummodo flatuoſi ſpiritus, eorumque remediorum, quę ab arte poterant adiuuari, ſicut erant enemata, & augetur difficultas; nam ſicut natura tentauit per ſudores, per vrinas, poterat etiam per ſeceſsum aliquid moliri, quod non fecit, neque Hyppocrates ſub aliquo verbo meminit.

Dubium hoc neque Valleſius, neque Mercurialis, neque aliquis è ſcriptorib. tentauit, ex antiquioribus nemo, quod ſanè erat conſideratione dignum dubium.

Cui difficultati nouæ diu contemplatus, tandem coniieci, problema hoc ita eſse ſoluendum, ac reſpondendum, naturam ſemper tentaſse per vrinas aliquid expellere, id quod noxium erat; quod autem hoc ſit verum, euidentiſſima verba textus oſtendunt, poſtquam pluries fuit facta mentio vrinarum. *Vera, atque adæquata quę ſiti reſponſio.*

Aut Secundo, Reſpondendum, ſimul cum calore naturam, & cum ſpiritibus fuiſse adeò oppræſſam ab inflammatione lienis, vt natura oppræſsa a copia humorum inflammationem parientium, diſtracta, nihil poterat per ſedem expellere.

Tertio Reſpondetur, ſubtiliſſime totam cauſam morbi fuiſse tripartitam, pars vna erat in cerebro, ſicut deliria demoſtrabant, pars altera erat in ſpiritualibus, videlicet iń corde, viciniſque partibus, ſudores, & partes refrigerata indicabant. Tertia erat ma- *Subtiliſſima ac noua ſolutio tertia.*

X ligna

ligna, corruptaq. materia in liene coercita; inflammationem gignens atque fouens, quæ omnia cum sint verissima ex Hyppocrate collecta, eiusque verbis, quod poterat natura distracta ratione loci inflammati, rationi foci putredinis, & aliarum causarum dictarum, nihil potuit moliri per secessum: auara ergo reddita fuit natura per secessum aliquid tentare, causam morbi expellendo, quod non potuit vt diximus.

Controuersia Secunda, Vtrum liceat enematibus vti in augmento accessionis.

Primo. Et videtur quod non, primo, quoniam distrahitur natura in actione phisica, dum mediante calore natiuo agit supra causam morbi; ergo.

Secundo. Secundo quoniam magna fieret commotio, & agitatio in massa humorali, & longum tempus exposceret, & spatium, neque potest sequi naturæ commodum, ergo non debet medicus rationalis vti clystere in augmento febrium, immo vigente illa.

Contrarium legimus apud Hyppocratem die secunda clysterem, qua die omnia euaserant grauiora; ergo non est dicendum in die quietiori declinante febre; Secundo, quoniam enemata non pertingunt ad ieiunum intestinum, vt habet Gal. 13. libro methodi, cap. 17. & quamuis quæstio sit antiqua in scholis, ad quam partem enemata pertingant;

gant; dicimus tamen, nos posse etiam vsque ad ventriculum pertingere, quamuis violenter, vt 3. de sympthomatum causis primo; immo vero vsque ad partem concauam iecoris, vt quinto methodi. 11. & 13. lib. methodi cap. 15. quæ si vera sunt, quare Hyppocrates iubet in die molestiori enemeta esse iniicienda, cum causam morbi non pertingant? quam difficultatem cum vidisset Mercurialis, tranquillam noctem habuisse languentem a clisteri iniecto, & vapores a fecibus eleuatis sursum, fuerunt remissi. Quare noctis sequentis quietem tribuit Mercurialis clysteri iniecto, immo admiratur Hyppocratem, qui nihil superflui annotauit, neque aliquid omisit necessarii, sed solius clysteris meminit, & hoc fuit ab Hyppocrate notatum tanquam remedium multum conferens; sed hæc opinio est imaginaria, neque aliquid sapit veritatis; etenim ea die mouebatur minera maioris afflictionis, & mineræ cum essent duplices, altera pessima, & maligna, altera vero minor, qua ratione clyster multum contulit, si nihil excreuit; etenim Hyppocrates debebat meminisse alicuius rei excretæ ope clysteris. Conferentia ergo a clysteri vndenam originem traxit, debebat profecto Hyppocrates mentionem facere, aut bilis torridæ, vel eruginosæ tanquam causæ morbificæ fouentis morbum. Conferentia ergo illius diei meo videre, non erat adscribenda clysteri, immo neque fęcum eductio poterat languenti afferre conferentiam ef-

Quies noctis fuit causam a clisteri ex Mercur.

Immaginaria sententia Mercurialis.

fatu dignam, cum cępisset morbus ſęuiſſimus, atque vndique læthalis, eoque magis, quoniam, vt idem Mercurialis dicit, cliſterem fuiſſe blandem, & mollem, quaſi lenientem, & verbum grecum dicit cliſmate, ſcilicet clyſterulo vtens; qua ergo ratione poterat enema adeò leniens conferentiam inducere languenti, præcipue cum nihil ſubtraxerit morbificæ cauſæ, & humoris, naturam habens lenientem, & excretionis nullę fuerit facta mentio, ergo dicendum melius habuiſſe veſperi, & conferentia ex parte fuit ſecuta, ſaltim intentionalis ex natura rei neceſſario debebat ſequi conferentia ſaltim apparens ea die, quoniam minera uidebatur ęſſe benignior; vt autem queſtioni huic uideamur ſatisfacere, & quæſitum omnino ſoluere;

Reſp. magis adæquata quęſito.

Sit prima Concluſio.

Exiſtente minera putredinis in primis viis, poſſumus vti libenter enematibus, ratio eſt euidentiſſima, quoniam iniiecta per aluum facili negotio morbificam cauſam foras alliciunt, atque trahunt.

Secunda Concluſio.

Exiſtente minera putredinis in ſpiritualibus viis, & calore multum fatigato, medicus rationalis non debet diſtrahere phiſicam actionem a cauſa morbi, virium iactura exiſtente magna.

Tertia

Tertia Conclusio.

Enemata aut sunt lauantia seu lenientia, aut eradicantia, & acria, tunc asserimus posse lauantia, & lenientia conuenire, acria vero non; ratio est, quoniam totum genus venosum turbatur, non sine magno virtutis detrimento, caloris distractione, ac diminutione.

Quarta Conclusio.

Modus medendi Hyppocratis fuit dubius, & probatur, quoniam adeò symptomata apparuerunt die secunda validissima, vt ea tentauerit eadem die lenire, aliqua euacuatione facta per secessum; sed notum iam erat diuino Seni, internos, occultos, ac putridos humores, leniente enemate, non posse educi. Quare concludendum, quæ secuta fuere mitiora, non esse adscribenda enemati iniecto, quoniam nihil eduxit, sed materiæ benigniori, quæ die sequenti erat mouenda: ex necessitate ergo sequelæ, atque ex motu materiæ consequentis benignioris, necessarium erat apparere benigna, eadem die sequenti: hæc pro Controuersia secunda sufficiant.

De

De Inconstantia vrinarum, Controuersia tertia.

Adeo frequens fuit facta mentio ab Hyppocrate vrinarum, vt interdum nigras obseruauerit, interdum melioris coloris, interdum cum nubibus, inter dum more geniturę ibi existentis, in dispersa substantia non residente; quo fit, vt in dubium possit reuocari; si enim causa morbi erat genita a bilioso succo adusto, aut vitellino, aut eruginoso, atque adeo humor erat vnus vniformis; ergo vrinæ debebant apparere sub vno eodemque colore perpetuo tempore: cui accedit secunda ratio, & fortior, nam supponentes, febrem fuisse lypiriam, seu malignam ardentem, quæ habebat originem ab inflammato liene, igitur vrinæ, aut debebant apparere perpetuo tempore crudæ, & aqueæ, calore conuocato ad viscus inflammatum, vt superiori Controuersia prima demonstraui; aut igneæ, & subrubræ, propter calorem in venis igneum contemptum; causa siquidē erat ignea torridæ bilis, febris erat ardens, itaque tā ex morbo, quam ex causa, color debebat apparere igneus, & flammeus in vrinis, quibus rationibus posset in dubium reuocari; vndenam tanta vrinarum diuersitas, atque differentia? Tertio confirmatur ex eodem Hyppocrate; nam lib. 3. epidem. com

men.

men.3.77.in hyſtoria Periclis, dicit, fuiſſe affectum „ febre acuta, lienoſus erat, ſiti vexatus cum dolore ve- „ hementi, minxit vrinas multas, craſſas, & albas, vri- „ næ non ſubſidebant, deinde vrinas craſſas cum ſub- „ ſidentia, affectus tamen erat in liene cum dolore vehementiſſimo, & febre acuta, lotia tamen erant tur bata, craſſa, & alba, quæ tamen apparuerunt in caſu Philiſci, duplici morbo affecti, acuta ſcilicet, & maligna febre, cum lienis phlegmone.

Sit vnica Concluſio.

In hac Controuerſia vbi aſſerimus, quo magis deiectiones ſunt variæ, eo magis ſupponuntur in humano corpore diſpoſitiones, ſucci ſupponuntur praui, ethorogenei, quorum natura partim intendit ſupra cauſam morbi, illamque ſuperare, quare vix poteſt rudimenta imperfecta ſaltim circa colorem vrinis tribuere; quapropter vrina obſeruabitur variata, ſeu vario colore pro prauis, & ethorogeneis humoribus; ſigna quippe euidentiſſima malæ coctionis; Vrinæ ergo erant crudæ, & quod peius cum furfuraceo ſedimento more farinæ craſſioris; nam hoc dicitur eſſe prauum: aſſato enim ſanguine, atque inæqnaliter colliquatis carnibus, id accidere ſolet, vt 2.prognoſt.28. Galenus, & Hyppocrates, & nos in verborum ponderationibus, fuimus locupletiſſimi; ex qua Hyppocratis veritate bene cognita liceat reſpondere obiectis, ſuppoſitum primum fuit

falſum,

falsum, humorem, scilicet fuisse homogeneum, dico fuisse ethorogeneum, & facili negotio, calorem fuisse distractum ad varia obiecta: sed responsiones clarius patent ex supra narratis.

Verum quoniam omnia sum pollicitus docere cum methodo, propterea sumpta occasione ab inconstantia vrinarum, de inconstantia illarum, & de inconstantia excrementorum, multa docebimus, & primo loco supponendo illam esse optimam vrinam, quæ habet sedimentum album, lene, & æquale, apparens per omne tempus primo aphoris. 12. primo de crisibus, & secundo prognost. comm. 13. vsque ad 17. comm. Hyppo. & Galenus, & sparsim alibi Galenus.

Methodus de excrementis hic proponitur.

Quare sumpta occasione ab vrinis, excrementa humani corporis, quæ solent esse causæ morborum, vel pertinẽt ad sputum, vel ad vrinam, vel fæces, atque exordiendo ab vrinis, earum varietas, ac differentia pendet ex variis fontibus, aut ex causa materiali vrinarum, eaque esse potest vel remota, vel propinqua; remota, vt alimentum, propinqua, vt humores, penes quorum naturam, quantitatem eorum, vel qualitatem, vel quæ sunt primæ, secundæ, val tertiæ qualitatis, aut pertinent ad motum humorum, illi vero mouentur, aut rapido motu, aut attracti, vel depulsi ad vrinarum loca, diuersitates vrinarum generant; vel pendet varietas ex morbo venosi generis, scilicet ex putridis febribus, in quibus

bus

bus putridi, ac fuliginosi vapores, per venas vagantes, massam humoralem inficiendo vel omnem, vel partem, lotia redduntur longe differentia; massa vero humoralis inficitur putredinoso calore, qui cum contineat differentias tres, tres etiam solet parere effectus; aut enim mediocritate gaudens, a natiuo parum recedens, mediocria in substantia, in contentis, atque in colore connato paret lotia simillima sanis; aut recedẽs parũ saltim graduali entitate addita, illa plus iusto colorata reddẽs, alterata appellamus illa; aut est tãta eius diminutio ab aliqua substãtia inimica vitæ, labefactante, vt sit vel extinctus, vel extinctioni proximus: qua ratione dicimus, atque appellamus cruda cocta, & mediocria lotia; quæ omnia ab vno fonte agente, scilicet calore, asserimus dependere; accidit sæpissime misceri substantiam interdum excrementosam, aut cum lapillis, aut purulento corpore, aut cum aliis humoralibus corruptis substantiis, quæ numero quatuor esse possunt, videlicet sanguinea, biliosa, melancolica, pituitosa, quarum natura, vel simplex, & nuda peccat; aut commista in venis; tunc differentia obseruantur lotia; aut fortasse nouus humor de nouo motus, nouæ putredini paratus, noua generans sympthomata, noua, ac inconstantia reddit lotia. Ex hac breuissima methodo liceat breui manu colligere lotia læthalia, sana mediocria, penes calorem, aut superantem, aut superatum, quam doctrinam esse verissimam cum

Hyppocrate. 2. prognoſt. per multos textus, liceat comprobare, exordiens a tex. 26. vſque ad tex. 37. eiuſdem libri, ad quem poterunt adire legentes, de quibus ſatis. Nunc autem confero me gratia methodi, ad alia excrementa declaranda, in quibus & colores, & conſiſtentias, & egerendi tempus contemplatur Hyppocrates eodem. 2. prognoſt. quæ omnia de excrementis primæ coctionis propoſita incõmoda, demõſtrant vitiatam eſſe primam coctionem, a tex. enim 13. 2. prognoſt. ſuper tex. 24. deiectiones bonas, ac prauas variorum colorum paucæ conſiſtentiæ, ex frequentia illarum, & in opportuno tempore expellendi, & tandem de exitialibus dicit nigra, liuida, fætida; quorum ſane excrementorum varietates, eas omnes dependere ex germano, connatoque partium calore, tanquam inſtrumento operationum omnium communi.

Quibus omnibus accedunt ſputamina pro tertia parte huius methodi, quæ ſpiritualium partium vitia ſignificant, propterea Hyppocrates primo aphoriſ. 12. ſi ſputum appareat in pleuritide, morbum breuiat, illudque vel liuidum, vel nigrum, vel flauum, vel pallidum, vel purulentum, ſeu albicans apparere ſolet; variari ergo ſolet hoc excrementum penes cauſam morbificam, eiuſque quantitatem, & qualitatem, vel viarum vitia, aut commoda maiora, aut minora; quare concludendum breuiter, omnia numerata excrementa maiorẽ mutationis partem

tem trahere originem ex caloris actione maiori, vel hæbetiori, facta in materia, aut omogenea, & ethorogenea, vt pleuritici dolores, empiemata, peripneumoniæ, denique thoracis affectus omnes demonstrant singula; de quibus satis declarasse arbitror ab vrinarum varietate, & incōstantia, sumpta occasione; verum pro coronide controuersię huius tertiæ legendus est Galenus cum Hyppocrate. 4. aphoris. 21. quo loci de varietate excrementorum locupletissimus legitur Galenus.

De iudicantium dierum criticorum maiori, aut minori vi, Controuersia quarta.

Scio controuersiam hanc esse in scholis antiquā, quibus diebus sit vis maior insita, an paribus, an forte imparibus, atque inæqualibus diebus? cuius controuersiæ causa, est ab Hyppocrate mota clarissimis verbis, dicens, in casu Philisci, eiusque historia narrata, accessiones erant diebus paribus, quasi vero pares dies multum conferant seu conducant ad morbos iudicandos, & controuersia de vi dierum iudicantium pendet etiam ex Hyppocrate, qui quarto aphoris. 61. febricitantem, nisi diebus imparibus homines febris dimiserit, solet recidiuare; impares ergo sunt, qui iudicant, textus hic scholam

medicorum turbauit omnem; propterea Galenus, qui omnia vidit, fuitque contemplatus singula, in commentariolo illo duo dicit; primo aphorismum hunc esse dubium, an sit inter aphorismos collocandus, & Hyppocrati adscribendus: secundo docet, per impares intelligendos esse iudicatorios; quę sane doctrina probatur, propterea quod videmus die quarta,14.20.40.morbos terminari; quare concludit per impares intelligendos esse iudicatorios. Vallesius lib.10. controuers. cap.10. subripiens a conciliatore viro omniscio, laborat multum, vt reddat rationem diei decimequartę, quam dicit esse parem, aut imparem: similiter de die vigesima, eodem modo philosophatur; quapropter video hominem citra rationem afferre suam opinionem, circa difficultatem hanc, sed solummodo laborando in computatione pari, aut impari, sed vim difficultatis non tangit, etenim si vis tota dierum posita est in imparibus diebus magis, quam in paribus, seu æqualibus, cur Hyppocrates, quarto aphoris. 36. loquens de euacuatione sudorifica, sudorificam dicit bonã esse die tertia, quinta, septima, & sequentibus; quod si sudorem consequatur tolerantia, tunc boni sunt sudores; quando vero non recidiuam, seu morbi longitudinem, seu laborem significant, labor vero, & recidiua pendent, quoniam non est factum bonum iudicium; siue ergo dies sit par, siue impar, parum refert, ad quod confirmandum adducor ex Galeno

Lapsus Vallesii in computatione dierum criticorum.

leno, qui quarto de acutis, 68. super verba Hyppocratis, & si paribus diebus superuenerit melius) in iudicatione autem pernitiosum, nisi sanguis multus abundauerit per nares, per sedem, per abscessum cum doloribus hyppocondriorum, ad crura: coctis autem his, vrinæ apparent crassæ, & albæ, Galenus huius rei recordatus, docet, si prædicta symphthomata diebus paribus superuenerint, non continuo; ex his dicere melius, quemquam dixerit; neq; enim si pares fuerint, intueri oportet, sed si fuerint iudicatorii dies, nempe quarta quæ par est, & ipse ex ordine paulò ante maximam habere facultatem asseruit, multaque alia contemplatur loca Cardanus in contradictionibus medicinalibus, quamuis in aphorismis aliter sentire videatur. Nos autem vtilitati studentes, ac breuitati; quæstionem hanc non intendimus determinare cum astrologicis, quoniã esset extra limites tractationis nostræ, atque in longum protraheretur controuersia præsens; sed magis credendum Philotheo greco, quem præter Galen. in aphorismis neminem veneror, dico sententiam illam 4. aphoris. 61. esse intelligendam de morbis peracutis, quorum terminus dicitur esse dies septimus, & tunc si quæ crises fiunt in paribus diebus, perficiuntur; hæc arbitror posse sufficere, quantum ad præsentem controuersiam per conclusiones, & capita; scimus enim, qui controuersias ediderunt medicinales, vt Conciliator, Cardanus, Vallesius,

& alii esse nobis locupletiores, sed transfero me ad quintam Controuersiam.

Controuersia quinta, vtrum stillicidium sanguinis die quinta apparens, fuerit prauum signum?

Controuersia hæc quinta apud Galenum videtur certissima, ideoque disputatione egere non videtur, dum in commento præsenti semper signũ perniciosum dicit esse; nos vero, qui singula verba examinanda fuimus polliciti, in controuersiam proponentes, illam examinatione indigere iudicamus.

Et videtur, quòd non, ex Hyppocrate, quarto aphori. 74. vbi habet, quibus speratur, futurum abscessum ad articulos, abscessu liberat vrina multa crassa, & alba reddita, qualis in febribus laboriosis quarta die, quibusdam exire incipit; quod si ex naribus etiam sanguis profluxerit, breui admodum solutio fit: ex hoc textu colligitur, non esse tantæ perniciei, quarta, vel quinta die apparitionem sanguinis.

Secundo ex Galeno, qui eodem commento 74. quibus maior caliditas materiam subleuat, aut sanguinis profluuium patiuntur, vel parotides, sequitur, breuem esse morbi solutionem; ergo sicut parotides collocantur inter euacuationes criticas, ita etiã

sanguinis

sanguinis profluuia; in vtrisque vero assignat diem criticam quartam, vel quintam, cuius rei reddit rationem Galenus dicens, subleuante calore materiā sursum; apparitiones ergo sanguinis sunt bonæ ex Galeno.

Tertio laudat Hyppocratem in hoc tex. in febribus laboriosis; sed hęc nedum laboriosa, immo acuta, & mali moris, quarto ex Hyppocrate, & Gal. 3. prognost. 2 quo loco assignat quartam; & quintam diem terminum perniciosorum, & salubrium morborum; non est ergo inconueniens, saltim si natura tentet euacuationem morbificę materię per nares. In hac controuersia circa actum practicum erimus prolixiores. Propterea sit

Prima Conclusio.

Stllicidium sanguinis est sympthoma perniciosissimum: probatur ex Gal. primo proret. commentario primo, commen. primo, vbi habet, quod absoluta morbi malitia significatur ex stillicidio sanguinis, quarta die, vel quinta apparente. Secundo rei, quæ expellitur; tertio ratione quantitatis: quarto ratione qualitatis; quinto ratione loci: sexto ratione temporis, quæ doctrina, & rationes demonstrantes ne videantur paradoxæ legentibus, liceat clariori stylo illa patefacere.

Quantum ad Primum tentauit natura expellere alios humores sibi inimicos; quos vero humores familiares

miliares parit, eos retinet, ſed non expellit; ergo expulſio ratione ſubſtantiæ eſt pernitioſa, & praua.

Quantum vero ad ſecundum, ratione quantitatis; etenim effuſione facta ipſius ſanguinis copioſa, videmus febres, & morbos terminari ad bonum, citiſſima euacuatione facta critica; ſic videmus ſtillicidia ſanguinis; via ergo irritamẽti, punctionis, & vellicationis natura expellit illa, qua propter tantillam ſanguinis portionem nõ eſſe ſufficientem naturam exonerare, veluti a ſarcina, nemo in via Galeni negare poterit; copioſi ſiquidem ſunt humores in venis contenti, quos natura intendit foras detrudere, cauſam morbi expellendo, quod non poteſt præſtare; id ergo videbitur pendere ab ea cauſa irritante humores, in venas contentos, via grauaminis coacta natura.

Quantum ad tertium ratione qualitatis, vitium erit; etenim non formam ſanguinis, ſed aduſtiſſimi meri vergentis ad nigrum, ſeu ad aduſtum; flammeum ergo ſupponit calorem, maſſam ſanguinis comburentem.

Quantum vero ad locum ſpectare videtur, repugnantia eſt ratione loci, tunc enim fiunt perfectæ criſes, quando loca ſibi debita a natura ſunt dedicata, per quæ cauſa morbifica expellitur: quamuis enim locus eſſe poſſunt nares, talis enim ac tanta cauſa morbifica, qua ratione poterit expelli per nares, guctam vnam, vel alteram expellendo ſanguinis, il-

lud

lud in memoriam reuocantes in via Galeni, venas multa receptacula excrementorum recipere, illęque vel ad habitum corporis demandant, aut ad loca vrinarum, aut per secessum, denique totus habitus corporis per vias vrinæ prugatur, vt quarto aphoris. 69. Galenus. Ex quibus clare colligitur, vt cum loca varia sint destinata a natura, primo aphorism. 21. semper naturam imitando vias proprias sibi destinatas pro euacuationibus faciendis, vt Hypp. aureis verbis dicit, quo natura vergit, pro expurgatione illorum adenes, epiglotides, vares, aures, sunt emunctoria cerebri, vrinæ expurgant vtraque partem hæpatis, intestina, quæ in Ventriculo, omento, pancreate c ntinentur, excipiunt, vterus in mulieribus receptaculum est omnium, axillæ, quæ demandantur a vitalibus partibus recipiunt, quæ si veræ sunt, sicut verissimę ex doctrina Galeni clare colligitur, stillicidium sanguinis sympthoma esse ratione loci.

Posset & secundo appellari sympthoma ratione temporis, sed sanguis solus hac lege videtur esse donatus, vt etiam incipientibus morbis foras expelli nulla expectata coctione noua, sicut humores exposcunt. Cæteri tunc veró ex opposito bonam, ac salubrem asserimus, quando copiosam videmus, quamuis in principiis, prauum tamen sympthoma semper erit stillicidium in morborum initiis, vt loco citato Galenus luculenter affirmat.

Secunda Conclusio.

Effusiones sanguinis sunt saluberrimæ, atque criticæ euacuationes morbos terminantes in primis diebus; ratio est euidentissima duplex, tum quia sanguis non expectat coctionem; tum quia omnes humores simul cum sanguine ducuntur. Quare non magis vnus humor, quam alius foras detruditur, sed omnes vniformiter, vniformes foras expelluntur, attractis humoribus ad cerebrum, ibique efferuescentibus ad venam illam, quæ appellatur torcular; depræssis omnibus effusio cruenta obseruatur criticante natura per nares. Verum illud circa actum practicum obseruatione dignum notandum erit in effusione sanguinis per nares, medicos rationales obseruare debere catisim, quam latini scriptores, duce Galeno primo aphoris. 26. partium rectitudinem appellant; propterea existente læsione in hepate effusione facta ex nare sinistra, est insalubris, sicut ex opposito existente inflammatione in liene effusione facta ex nare destra est morbosa, quibus conclusionibus sic propositis liceat ad argumenta supra ducta facili negotio respondere, argumenta omnia supra ducta tam Galeno innixa, quam rationibus comprobata, sunt intelligenda de effusione sanguinis, vt supra adductæ rationes, & loca comprobarunt. Hæc de historia Philisci docuisse satis arbitror, tum quantum ad essentiam morborum omnium,

quibus uidebatur affectum, tum quantum ad loca ac uitiatas partes, tum quo ad examinationem symptomatum, verborum ponderationem; nouas, quas disputauimus, controuersias, & disputationes, in quibus omnibus satis ieiunos, & legimus, & vidемus scribentes, & quoniam medicina nouis semper perficitur obseruationibus, sub hac die, in qua historiam examino, ac perficio, nouus mihi subministratur casus, obseruatione, atque admiratione incredibili dignus, & tanquam rem inauditam a multis fortasse paradoxam notabimus verissimam; nos autem verissimam historiam proponemus, sumpta occasione a stillicidio sanguinis Philisci. Cum essem conuocatus ad iuuenem iuris prudentiæ eruditissimum, atque doctorem, curis, & solicitudinibus negotiorum satis versatum, nomine Valerium, de Valeriis ex castro veteri, hic annum agebat vigesimũ, qui febre fuit correptus acutissima, in cuius obseruatione duo ad erant nostræ tempestatis viri excellentissimi, Quintius Bon, Ioãnes Archiater, & Latinus Tãcredus philosophiæ professor primus, pro cuius iuuenis consilio, eiusque salute cum essem conuocatus, atque accersitus, rem & admiratione, & contemplatione dignam inueni, quam nunc recensebo, iuuenis sanguinem expuebat in maxima copia, eiusque iuuenis mictus erat cruentus in quantitate effatu digna, per secessum magnam sanguinis copiam effundebat, nares stillabant sanguinem, immo

Hist. notatur hic admiratione & cõtemplatione digna.

mo vero profluia, & denique tota cutis erat suffusa infinitis exanthematibus latissimis nigricantibus, denique effusio sanguinis apparebat per totum, cæpimus in consilio inuestigare causas emanationis sanguinis per regiones omnes, quænam esset vera, ac legitima tam cruentarum excretionum, & ratio difficultandi erat euidentissima; etenim cum natura esset auara tam prætiosi nutrimenti, ope cuius partes principes, & operantur, & vigent, posset sane natura criticando per vnam solummodo regionem effundere sanguinem; sed vt per omnes regiones sanguis in maxima copia emanet, rem sane, vt dixi, tanquam nouam, & casum rarum, in corpore raro, in præsenti historia recolere censui, atque in controuersiã fuit reuocatũ, an esset pharmacãdus iuuenis? & cũ affirmassent seniores, mea fuit opinio negandum fuisse pharmacum, idque aut leniens, aut adstringẽs, nulla ratione erat indicatum; leniens non, nam propter relaxationem, magnam, & venarum apertionem, cohibens, neque multum adstringens, ne grumosa cruenta substantia intus retenta corrumperetur, putresceret, ac in venenosam transiret substantiam, atque mecum ipse contemplatus in via Galeni dum cum præstantissimis medicis consulerem, conieci pro sanando iuuene, vitæ genus in via Galeni esse primo loco contemplandum, a quo methodus medendi morborum omnium, præsertim huius pendebat origo.

Conieci

Conieci mecum ipse in toto magnum, atque igneum vigere calorem, & tanquam cauma in venoso genere contineri inde ex variis negociis, curis, ac solicitudinibus pro iuris prudentiæ negotiis adimplendis, tota massa sanguinaria erat adusta, excalefacta, ebulliens, & cuius calore orificia venarum debilitata, rarefacta, aperta denique fuerunt in toto, rem sane vt dixi prius admiratione, & speculatione effatu dignam, iterum repeto, quem sane languentem si Hyppocrates vidisset aut Galenus obseruasset, locupletissima edidisset commentaria. Nos vero interpretis gerentis munus hęc gratia Philisci recensere voluimus.

Ad rem ergo deuenientes decreui in consilio esse iuuenem summe alterandum cum potionibus frigidissimis, ex quibus massa sanguinea ex parte contemperaretur, feruor remitteretur, biliosæ substantiæ ibi commistæ, & tandem incrassato sanguine saltim exigua, & si non fortissima, oriretur in orificiis venarum obstructio, supponendo fuisse minoratum sanguinem pluries; erat. n. secta vena quater, vel quinquies, & quoniam languens sæpe in hypothomiam incidebat, vitali calore deficiente ex immoderata sanguinis effusione per totum, cibis euchimis, seu multum nutrimentalibus, determinauimus pluries in vna die esse nutriendum, ne virtus laberetur, atque concideret. Placuit sententia mea sociis, qui omnes fuerunt eiusdem voti, corpus esse

Cui morbo liceat alterare immoderato modo.

summe

summè alterandum exibendo potum aquæ gelidæ in maxima copia, ex quibus potionibus excretiones cruentæ fuerunt remissæ; tandem post aliquos dies exibito leui pharmaco comprimente ex reubarbaro, mirabulanis, & infus. ros. conualuit.

Historia secunda Sileni.

Cap. XXXIII.

» Silenum, qui in Platamonis ædibus, prope filios » Eualcidis, habitabat, ex laxitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempestiuis, » ignis corripuit, cępit simul ex lumbis laborare, & » capitis grauitate tenebatur, collumque contende- » batur.

» Prima die aluus biliosa, mera, spumosa affatim » multa reddidit. Vrina nigra, in qua nigra subside- » rent, sitibundus erat, lingua arida, nocte nihil dor- » miuit; altero die febris acuta, retrimenta plura, te- » nuiora, spumosa, vrina nigra: Nox grauis, aliquantulum delirauit.

» Tertio cuncta ingrauescebant, præcordiorum » contentio submollis, vtrinque promissa ad vmbili- » cum, aluus tenuis, subnigra, vrina turbida, nigra, » noctem insomnem duxit, multa verba, risus, can- » tus, moderari sibi non potuit. Quarta die eadem » erant. Quinto deiectiones meræ biliosę leues, per

quam

quàm pingues, vrina tenuis liquida, pauca mente „
constitit. Sexto caput parum sudauit, extremitates „
algebant, liuescebat multum, se se iactauit, aluus ni- „
hil excreuit, vrinæ restiterunt, febris acuta. Septima „
die obmutuit, extremæ partes non amplius reddi- „
derunt ad calorem, nihil minxit. Octauo frigidus „
toto corpore sudor, papulæ cum sudore rubentes, ro „
tundę, parcæ varis similes permanebant, nec absces- „
sum efficiebant, alui irritationes paruæ, stercora „
tenuia, veluti cruda, multa cum labore reddebãtur, „
vrinam reddebat cum dolore mordacem meram, „
aliquantulum resumebat caloris, somni tenues, & „
quasi sopores, obmutescebat, vrina tenuis liquida, „
Nono nihil mutabatur. Decimo potum non su- „
mebat, sopore tenebatur, & somni tenues, similia al „
ui excrementa, minxit multum, quod sub crassum „
in matella euadebat, quod subsidebat, erat simile fa- „
rinæ crassiori album, extrema membra iterum fri- „
gebant. Vndecima obiit, a principio hic vsque ad „
finem spiritum magnum, & rarum abiit, præcor- „
diorum perpetuam palpitationem, annum agebat „
circiter vigesimum.

Postulat Hyppocraticus ordo, vt declarata pri-
ma Philisci historia, secundam percurramus, in qua
nihil recedendo a more primo intentionem obser-
uabimus; Secundo diuidam illam. Tertio verba
ponderabimus. Quarto multæ controuersiæ erunt
diluendę.

Quan-

Quantum ad primum intentio Hyppocratis eſt in hac hiſtoria declarare quantæ pernitiei ſint, atque etiam prauitatis morbi, qui ex cruditatibus dependent, exemplo Sileni.

Diuidi poteſt præſens hiſtoria in varias partes; in prima aſſignat cauſas procatarticas huius febris acutæ, videlicet intempeſtiuas exercitationes, atque cruditates; in ſecunda parte proponit ſympthomata huius febris, preſertim diarream, & omnia pertinentia partim ad actiones læſas, partim ad excreta.

In tertia parte agit de ſympthomatibus ad habitum corporis pertinentibus, dum de papulis, varis, & aliis loquitur Hyppocrates.

In quarta parte præſagiendi ratio viget, dum de obitu die vndecimo, facto tanquam de die impari.

Quantum ergo ſpectare videtur ad primam partem, febris acuta habuit ortum, tum ex exercitationibus, tum ex cruditatibus: faciunt tamen ad negotium magis cruditates, propterea quòd cum multũ potaſſet, exercuit ſeipſum plus iuſto, cępit corpus laborare laxitudinibus, per quę ſunt diſpoſitiones pręuię ad futuros morbos, ſub quibus laxitudinib. corpora appellantur neutra decidentię, dum ab optima illa ſanitate decidunt in morbos; ſcio me multa poſſe docere de ſpeciebus laxitudinum, cum Hyppocrate, & Gale. 2. aphoriſ. quinto, & Turiſano lib. 3. artis medicinalis ſuper text. 12. quarum ſpecies ſunt tres, phlegmonoſa, ſcilicet tenſiua, vlceroſa. Vl

ceroſę

ceroſę ſiquidem laxitudinis cauſa eſt humor ſubtilis, & mordax, praui videlicet cibi; tenſiuæ vero laxitudinis cauſa eſſe dicitur copia ciborum crudorū, & ſuccorum, qui pondere ſuo partes, muſculos, & venas grauant. Apoſtemoſa, ſeu vlceroſa tandem dicitur, quæ vtcumque continet copiam humorum cum mala qualitate coniunctam. Quartam admittunt Arabes, Duce Auicenna, quæ appellatur arefactiua, vt Turiſanus de hac re eſt locupletiſſimus libro tertio, artis medic. ſuper tex. 12. cauſatur autem hæc ex immoderato exercitio & appellatur arefactiua; præceſſit enim prius vlceroſa ex copia humorum calidorum, partes ſenſitiuas totius corporis mordicantium. Laxitudo ergo fuit effectus, & cruditatis & motus inordinati; cum enim multum ingeſſiſſet, venæ omnes ſunt repletæ copioſis cruditatibus, inde orta eſt febris acutiſſima ex eorum egeſtione, atque ciborum corruptela.

Laſſitudo arefactiua, quę ſit ex opi. barbarorum.

Prima ergo, ac ſecunda regio fuit repleta cruditatibus; permeantibus ergo illis ad venas internas, atque nobiliores ſucci crudi, ſeu cruditates partim attractę, partim impulſæ vitio vacui viarum, quæ omnia ex motu inordinato poſt cibum proficiſcebantur calore immoderato aucto, quo factum eſt, vt repletis venis crudis ſuccis, iiſdemque putreſcentibus, atque poros venarum obſtruentibus, putredo fuit ſuper orta inſignis, ac febris acutiſſima, & appellata fuit ab Hyppocrate ignis, neque pręterire opor-

ret Galeni ſententiam in hoc commento vbi habet, nam ſi quis laborando ſe ſe ad laxitudinem vſque affliget, patet autem largiter, tunc intempeſtiue exercitationes ſubeat, ideſt vel a cibo, aut vbi tardius cõcocti fuerint cibi, antequam nutrimentum ſit in ſanguinem conuerſum; hic partim in bilim propter labores, aceruet, partim crudos, & inconcoctos humores ex potu, & intempeſtiuis exercitationibus, ſunt autem morbi hi multo grauiſſimi, in quibus magna vtriuſque colligitur copia: hæc habet Galenus in commento huius hiſtoriæ.

Sed hic dubitat Mercurialis, qua ratione potuit vinum cauſare febrem ardentem, immo ſolet cauſare affectus frigidos, vt paraliſim, epilepſiam, cæteraque genera ſympthomatum frigida; dubium certe puerile eſt, indignum tali viro; quare colligitur oſcitanter legiſſe Hyppocratem, etenim per potum intelligenda non eſt potabilis ſubſtantia ſolum, ſed etiam eſculenta; verum etiam ſimul intelligenda erat eſculenta cum potulenta coniuncta.

Opin. verior cõtra Mercur. Verum dico quid ſentio, intempeſtiuæ exercitationes incaluerunt maſſam ſanguinis, neque potus fuit ſufficiens cauſa, vt ſomniauit Mercurialis, cum textus clare loquatur de exercitiis intempeſtiuis poſt cibum; a quibus coaceruati ſucci crudi inconcocti intra venas attracti violenter, ope caloris venoſi generis, praua, ac pernitioſa peperere ſympthomata, atque calor putredinalis fuit ſuperortus vali-

validissimus, existentibus humoribus attractis intra venas, ibique putrescentibus putredine insigni, quis poterat dubitare febrem non fuisse superortam ardentem, flammeam a biliosis succis crudis, adustis præ immoderata exercitatione superortam, sed exposcit ordo, vt ad verba deueniamus.

Prima die cæpit aluus biliosa mera spumosa expellere. Pro cuius testus intelligentia notandum erit, causas procatarticas multum valere ad cognitionem morborum, vt si corpus reperiant aptum ad morbos validiores, atque ad febres putridas generandas, tunc putridę oriuntur febres; quod si corpus non sit aptum, tunc febres diariæ oriuntur tutissimis firmatæ signis, quæ facili negotio euanescunt, ac cessant, vt tertio prognost. in primis testibus. Verum sympthomata prima die apparuerunt læthalia, vt ergo ad textum videar iterum accedere declarandū, ingeniosissimi scolares, quorum gratia, & vestrum, opus hoc & lectiones publicas typis excudendas, petitionibus vestris decreui.

Prima ergo die aluus biliosa spumosa multa reddidit. Arbitror naturam via irritamenti, & sympthomatis expulisse morbi causam crudam, atque inconcoctam, coniicere tamen possumus cæliacam fuisse ex mixta substantia humorali; atque cibali corrupta, nihil tamen contulisse naturę, immo omnia fuisse praua, ac via sympthomatica; fuisse autem cæliacum, non diarreum, non disentericum, nec

liëntericum, ea me cogit ratio, propterea quod prę-cesserat extrema cruditas, dixit Hyppocrates spumosa, & biliosa, mixtus ergo fuit fluxus ex duplici substantia ortus, vtraque tamen substantia corrupta cibali, & humorali, biliosa, videlicet, an vero fluxus hic potuisset conferre, infra in controuersiis disputabitur.

Sympthomata apparentia die secunda non oportet ea iterum examinare, postquam in historia prima satis superque fuere declarata, videlicet de vigiliis, de delirio, de vrinarum nigredine, de linguę ariditate, ea siquidem omnia, ex intenso, ac flammeo videbantur pendere calore. Sed quæ apparuerunt die tertia, examen exposcunt diligentius pręcordiorum, scilicet tentio vsque ad vmbilicum; ex quibus verbis dubitatur, an fuerit inflammatio aliqua, an inflammatorius tumor.

Mercur. opin. examinatur. Mercurialis fuit huius sententiæ, neque fuisse veram inflammationem, neque tumorem inflammatorium, sed fuisse insignem obstructionem ex succis ortam; nam præcesserat cruditas in primis diebus, quam natura tentauit per secessum; mox retentis excrementis crudis facili negotio fuit super orta obstructio in visceribus naturalibus, propterea Mercurialis admonet Medicos debere cognoscere statū hypocondriorum; nam ibi uis tanta morborum videtur esse insita, sed pace doctissimi viri dixerim, atque præceptoris in Italia primi, tumor ille fuit erisi-

Opi. Mercurial. dānatur.

pelato-

pelatosus, immo inflammatio vera & exquisita septi transuersi; etenim signa demonstrabant euidentissima; etenim omnia vergebant ad igneum calorem, partes naturales inflammantem, quæ omnia demonstratiuis liceat confirmare signis, aluus primo expulit nigra, vrina nigra, ac turbida, nox fuit insomnis, quæ omnia sũt nota caloris interni ignei, & verba textus declarant, tumor erat submollis vsque ad vmbilicum; erat enim veluti inflammatio, seu ardor cum fluxione, nullus tamen videbatur esse tumor durus, quare concludendum erit esse veluti phlogosim: Sed hic circa verba aliquis dubitaret, an inflammatio esset in diaphragmate, an in hypocondriis, quæve poterant assignari signa distinguentia?

Inflãmationẽ diafragmatis ab inflãmatione hippocondriorũ distinguẽtũ signa, quę sint.

Respondetur, hanc esse differentiam, quoniam inflammatio si obsidet hyppocondria, apparet tumor, in septo autem transuerso non; tensio ergo apparuit in Sileno subuacua, submollis; quare cum in Sileno esset tensio vacua sine tumore, signum erat euidentissimũ, quod inflammatio erat in diaphragmate, non autem in hyppocondriis, hæc autem vacuitas erat extensa vsque ad vmbilicum; vtraque ergo parum erat sine tumore, quoniam inflammatio erat in diaphragmate, seu in septo transuerso: quare concludendum fuisse inflammationem cum vacuitate sine tũmore, & clarius tam delirium, quam tensio demonstrabant adesse inflammationem in se-

pto trāſuerſo, quam doctrinam, & Galenus in com mento affert, & Hyppocrates in prognoſticis docuit prius; dicit enim in fine hiſtoriæ (perpetua fuit præcordiorum palpitatio) ergo palpitat in illa erat ſignū obſtructionis, immo vero inflammationis internę, vt diximus.

Vrina nigra) De cauſis huius nigredinis ſatis ſuperque ſupra demoſtrauimus in hiſtoria Philiſci, vbi diximus vitio caloris aut adurentis, aut extincti, aut permiſtione materiæ expurgatæ permiſtæ, vt alias diſputabimus.

Riſus Cantus) Quæ verba vt intelligantur, longam, ac difficilem expoſcerent diſputationem de ſenſu horum verborum apud neotericos, & ſcriben tes omnes, in quibus diſputabo fuſiſſime in controuerſiis, dum de riſu, & cantu peculiaris proponetur quæſtio; ſed pergamus ad alia verba.

Deiectiones apparuerunt leues pingues) quæ certa ſympthomata cum ſint in excretis, demōſtrabāt copiam præcedentium cruditatum, a quibus orta fuerat febris maligna ſimul, atque cum eſſet magna facta aduſtio in maſſa ſanguinaria excreta, apparue runt pinguia; hoc autem ſignum eſt euidentiſſimum pathognomonicum peſtilentis febris vt Galenus appellat tertio Epidem. comm. 3 56. nam fortis, & vehemens calor ne dum vim habet admirabilem colliquandi humores, ſed etiam pinguedinem, & adipem. Verum hic oritur difficultandi ra-

tio

tio, nam tam febris hectica, quam ardens colliquāt humiditates; quæ ergo est assignanda differentia inter vtrumque genus?

Respondetur cum Gal. 10. meth. vltimo, excrementa ardentis febris apparere colliquata, vtitur autem Galenus exemplo carnis suillæ super prunas, ex quibus quod colliquatur apparet; secus dicendum de febre hectica, in qua quidquid colliquatur, discutitur, & euanescit, ita vt non sit mirum; si in hecticis corporibus excrementa colliquata non appareant; ratio est, quoniam quod colliquatur, euanescit, secus philosophandum de malignis & ardentibus febribus, a quibus solidior, & corpulentior emanat substantia; inde sequitur apparere ad extra, id quod foras detruditur; solummodo ergo hoc signum erat sufficiens prauæ naturæ febris, eiusque pernitiei ac pestilentiæ, pinguedine apparente in excrementis, sed de his in controuersiis.

Vrina tenuis) de quo sympthomate non miror; nam tenuitas supponit exiguum calorem naturalem, sicuti crassities vigorem eiusdem, fortasse poterat tenuitas dependere secundo loco ex delirio, vt quarto aphoris. 72. si vrina appareat in delirantibus perspicua, & alba, læthalis; aut tertio loco, quoniam excrementa biliosa, quæ poterant expurgari per vias vrinæ, illisque tribuere colorem varium per secessum, fuerunt a natura expulsi; & quamuis eadem die mente constitit, tamen non erat credendum huic

sym-

sympthomati, remisso præter rationem apparatu eorundem sympthomatum, perseuerante vehementius.

Sudores apparuerunt circa caput pauci, extremitates frigidæ cum liuore.

Non est diu immorandum in sudoris excretione; nam satis superque in superiori historia declarauimus; scimus enim vbi sudor est, ibi morbus, ex Hyppocrate quarto aphoris. de frigiditate deinde extremorum, in superiori etiam historia patefecimus exacte; maligna siquidem prauitate morbi, facili negotio instrumentum naturæ primum scilicet calor influens distractus, ac diminutus dissoluitur, eoque magis, cum in initio huius historiæ declarauimus inflammationem fuisse in septo transuerso, deinde cerebro fuisse communicatam, vt sympthomata noctis tertiæ, & quartæ, & perseuerantiæ eorundem sympthomatum: sexta, & septima luculentissime demonstrant materias malignas habuisse raptũ ad cerebrum, ibique firmas radices infixisse, morbificam, prauam, malignamque causam) & per consequens distractus calor a parte vitali ad cerebrum, expellentes facultates fuerunt ferè sopitæ. Cuius veritatis duo sunt signa clarissima, videlicet excrementorum suppressio, vrinæ, & alui fæcum, quę apparuerunt in fine diei sextæ, quorum sanè sympthomatum multæ esse possunt causæ; aut enim tribuendum erat expellenti facultati resolutæ, vitio volun-

tariæ

tariȩ naturalis, vtraque tam ea, quȩ est per secessum, quam ea, quȩ est per vias vrinæ, tam musculis etiam adiuuantibus, aut vitio instrumenti primi, videlicet extincti caloris. Cuius officium est facultatibus omnibus opem ferre, atque opitulari; nam sicut expulsio fit a calido, humido, ita retentio a frigido sicco; aut tertio dicendum talem esse, ac tantam febrilis caloris actiuitatem, vt excrementa omnia etiam inutilia exiiciat, atque consumat, scientes ex Hyppocrate 3. epidem. 3. 61 vrinam debere esse proportionatam potui; & si fuerint vrinæ copiosiores plusquã materia potabilis expostulat, male sunt cum sympthomatibus prauissimis coniunctæ; naturæ siquidem irritamentum demonstrant; similiter etiam paucitas eorundem pernitiosum etiam ostendunt sympthoma.

Septima die obmutuit, extremæ partes amiserũt calorem, nihil minxit.)

Totum negotium videbatur dependere ex extinctione caloris, aut eius diminutione magna; nam extremarum partium refrigerationes ad calorem non redientes, amplius impotentia mingendi, hæc & similia sympthomata demonstrabant, proximũ esse extinctioni, eoque magis cum septima die apparuerint, cum sit terminus primæ hebdomadæ, & ab Hyppoc. magnifaciendus dies, vt 2. aphor. 24. & in epidemiis sparsim.

Exanthemata cum rubore rotunda, parua.)

subdit Hyppocrates apparuisse exanthemata, quæ quatuor in se videbantur habere conditiones; primo erant permanentia, secundo varis similia, tertio rotunda, quarto rubentia: sed hic occurrit difficultas, an Hyp. variolas cognouerit? de qua difficultate præbeo me locupletissimum in opere meo, de morbis puerorum; in quo opere Hyppoc. cognoscentem, & docentem videor affirmare, quamuis Mercurialis videatur asserere neque hic, neque alibi Hyppocratem cognouisse variolas, vt in commento asserit; rationem autem huius dubij affert, quoniam nunquam videntur variolæ erumpere die octauo, aut tertia die, aut ad summum quarta; porro duo hic occurrunt demonstranda, in quibus Mercurialis videtur grauissime allucinatus, primum est, textum hunc esse de variolis saltim apparenter, quem negat, secundum asserit erumpere die tertia, vel quarta, quod semper debere fieri asserit, non autem vltra.

Vtrum Hypp. variolas cognouerit.

Allucinatur Merc.

Quantum ad primum, falsum est, textum esse de variolis, sed textum Hyppocratis esse de exāthematibus, & præter apparitionis tempus, quod gratis conceditur: dico tamen fuisse signum corruptorum humorū m exanthemata, quod præter naturam si fuisset apparitio morbillorum, & variolarum euentus fuisset salubris fortasse, sicut in multis, febris fuisset sinoca, sed febrem legimus a prima die fuisse malignam, ergo. secundo, signa omnia erant peccantis humoris biliosi eruginosi, aut vitellini, propterea

febris

febris neque fuit sinoca, neque benigna, sed praua, cachoetica, & maligna; rē hāc ostendit euentus, perniciosus, atq; citissimus, & apparitiones exanthematum bonæ sunt ratione signi, malæ vero ratione causæ; arguunt enim internam adustionem humorum atque sanguinariæ masse cauma, internarumque partium feruorem non exiguum; sed quod reddit me in admiratione dignum, est; Mercurialem virum variarum lectionum, atque obseruationis antiquissimæ asseruisse, semper variolas, & morbillos die tertia aut ad summum quarta, cuius contrarium ne dum infinitæ languentium obseruationes demonstrant, immo vero, rationes phisicę oppositum comprobant; atq; exordiendo ab obseruationibus, vidimus sæpissime per septem, octo, & nouem dies retardasse variolarum, & morbillorum ostentationem; deinde magno impetu foras erupisse; immo talis, & tanta est celerrima eorum apparitio, vt perterriti medici quamuis doctissimi, nihil audeant operari, supponentes naturam ad cutim criticasse materiam omnem, vt in Illustrissima D. Costantia a Carrectis, annum agente sexagesimumquintum, occulata experientia vidi, atque in dubium uidebatur reuocari inter Cesarem Scannapecum, & Ioannem Berardinum Longum philosophos, ac medicos eximios, ea tempestate, meosque præceptores, non satis laudatos; de tarda ergo apparitione difficultas erat inter eos, post multos tamen dies, ætate

quamuis extrema, repugnante variolis, correpta nobilissima domina, dië clausit vltimũ; neq; argumenta desunt ad id cõprobandum, tum quia natura interdum reperitur grauata a copia humorum, & sanguinis; eademque exonerata, citius foras detrudit ad cutaneas partes, cuius doctrinæ non immemor Galenus 11. lib. meth. 14. & 15. secundo aphoris. 29. eandem semper repetit sententiam, naturæ leuamen operari citiorem expurgationem foras, tum quia interdum pororum reperitur aliqualis obstructio, aut quia crassities multa in sanguine expellendo foras, aut fortasse externum frigus impellens, aut fortasse errata multa, aut languentis, aut astantium; hęc, & alia argumenta ostendunt aut citioris, aut tardioris apparitionis causas, vt in opere meo de morbis puerorum videar locupletissimus; vt ergo redeamus ad speculationem inchoatam, atque ad exanthematum apparitionem, dico, non fuisse variolas, sed prauarum signa dispositionum; peccabat ergo tota sanguinaria massa, quæ a maligno calore erat corrupta, propterea erant rubra ratione ichoris sanguinei: rotunda, quia pituitosa erat mixta materia; tertio quoniam faciebãt abscessum, erant biliosa, vel parua varis similia; vtcunque tamen sit, excretio non fuit critica, sed sympthomatica, arguens multitudinem humorum simul cum prauitate cõiunctam, facultatem omnem præcipue concoquentem ac retinentem; ex quibus sequitur,

non potuisse naturam ab horum exanthematum apparitione leuamen percipere, propterea quod instrumentum omnium operationum erat resolutum, dico natiuum calorem, ex cuius imbecillitate quid boni sperandum erat, tam die septima quam die octaua extremorum, frigus extremarum partium, sudores frigidi totius corporis, signum euidentissimum prostratæ naturę, impotentis retinere, atque extinctæ alterantis, & imbecilli caloris; ergo non poterant esse critica, sed prauissima, mortalem testantia naturam; scimus enim ex Galeno, quod omnis expulsio fit coctione præcedente, secundo sequæstrante, tandem conante natura expellere causam morbi euictam, vt quarto aphoris. 22. Galenus; neque ergo poterat maligna concoqui materia, quoniam deerat coctionis instrumentum, viuificus ille calor, qui omnia perficit, atque terminat, eoque deficiente ruunt omnia; immo natura duo expellit excrementorum genera simul, crassum, & tenue, & videtur paradoxum intellectione, quomodo vitiata expulsio fuerit facta eodem tempore, sub eadem regione, scilicet circa cutim expellere sudore, & expellere exanthemata, quorum alterum fundatur in materia subtili, alterum vero in crassa. Alterum genus euacuationis cito permeans per poros, alterum vero in illis impingitur, atque adhęret; alterum euanescit, alterum vero non; ea tamen lege donata sunt ambo scilicet exanthemata, & sudor, vt inter-

dum

dum sub critica, interdum sub symphthomatica recludi possunt via; emanare tamen sudorem simul cum pustulis, & naturæ imbecillitatem, & materiæ hethorogeneitatem, atque impotentis naturæ sequestrantis arguit vim, eoque magis cum habeamus ex Hyppocrate quod decretoria non indicentia, aut mortem, aut morbi longitudinem demonstrant; itaque tam sudor, quam exanthemata symphomata fuere pertinentia ad resolutam facultatem, quam doctrinam arguunt consequentia signa excrementa cruda apparentia, alui irritationes, qua die cæpit obmutescere, sopores, vrinæ tenues.

Nona die perseuerarunt) signa euidentissima materierum habentium raptum ad cerebrum, quod facili negotio contraxit materias illas a partibus inferioribus, & a sede, vbi collocata erat minera putredinis.

Decima die non poterat potare) aut quia per potum intelligunt rem omnem liquidam, aut simpliciter per potum intelligendum erat, non potuisse naturam aliquo modo actuare materiam liquidam, siue quia sopore tenebantur, siue quia musculi deseruientes deglutitioni, erant resoluti, siue quia facultas attratrix, quæ calore tanquam instrumento, vtitur, erat extincta, supponentes nullum fuisse impedimentum in viis, quoniam fecisset mentionem Hyppocrates: tandem concludens historiam duorum sympthomatū meminit, videlicet vrina-

rum

rum & caloris. Quantum ad vrinas, aliqui dicunt fuisse furfuraceas; aliqui dicunt fuisse paucas, sed crassas; aliqui dicunt mictiones fuisse frequentes; id quod tamen expellebatur, erat crassum, turbidum, atque confusum, signum euidentissimum totum corpus scatuisse succis crudis, & sicut in principio historiæ de cruditate per secessum fuit facta mentio, ita in fine eiusdem hystoriæ de cruditate venosi generis, eandem reperit doctrinam, dicens, vrinas fuisse crassas, turbidas, farinaceas, de quibus quarto aphoris. 77. multa docet Hyppocrates: veritas tamen est, Hyppocratem 2. prognost. farinaceam vrinam adustionem magnam in visceribus demonstrasse, crassities tamen magna apparebat in fundo matulæ; qua in re liceat breuiter notare, non fuisse verum sedimentum, sed crudorum succorum colluuiem, qua ipsa natura uidebatur oppræssa, postquam omnes venæ, immo totus corporis habitus, crudis succis videbatur abundans, vt diarreæ in primis morbi diebus apparentes, crassa, & turbida lotia cum succorum copia crudorum, sumus enim in via Galeni & Hyppocratis distingui sedimentum a succo crudo, penes multa, primo ratione causæ efficientis, nam sedimentum verum puri simile, arguit natiuum calorem dominantem; succus vero crudus arguit debilem. *Distingui succū crudum a sedimento demōstratur.*

Secundo distinguūtur in loco, propterea quod succus crudus diffusus, ac dispersus per matulā, apparet

verum

verum sedimẽtum, figuram obtinet pyramidalem.

Tertio color simul cum sedimento correspondet existente germano sedimento cum colore flauo; succus vero crudus varios habet colores, interdum est subalbidus, interdum est subpallidus.

Quarto succus crudus matulæ adhæret, aliter de sedimento dicendum, & cum Galeno, & scriptoribus concludendum arbitror, verum sedimentum esse portionem humoris putrefacti cineritii hępatis, fugiens coctionem a partibus solidis suscipiens albedinem, vt tertio de prognosticis puls. septimo, primo aphoris. 12. primo prognosticorum vltimo, secundo prognosticorum 60. & de hac re locupletissimi leguntur scriptores, Turisanus quęst. de hypostasi vrinarum, Conciliator in differentiis, Valles. in controuersiis, Cardanus in contradictionibus, & infinita alia, schola disputantium de sedimento, quos nominare tædet, postremum est partium frigiditas, cuius signi pro coronide vltimo loco meminit, quod adeo magni ponderis est illud præstantia, ac maiori vi cætera superans ac antecellens, tandem concludit obitum die vndecima factum. Galenus in eodem commento reddit rationem, quare perseuerauit vsque ad diem vndecimum, præcipue cum die tertia, & quarta pessimis fuit cruciatus symptho matibus, tribuit Galenus hæc omnia viribus robustis, pręcipue cum annum ageret vigesimum, & in fine hystoriæ Hyppoc. proponit respirationis rarita-

tem

tem, tarditatem, præcordiorum perpetuam palpitationem.

Methodus medendi cum auxilijs:

Cap. XXXV.

NE videamur ab instituto recedere, atq; ab eo ordine, quem seruauimus in prima historia, eundē insequi postulabat methodus; quapropter in hac historia antequam deueniam ad controuersias disputandas, primo perquirenda est essentia ipsius febris. Secundo quam causam arguat. Tertio quo loco fuerit minera eius. Quarto an fuerit necessaria missio sanguinis. Quinto de pharmaco exibitionis tempore, & qualitate.

Quantum spectare videtur ad primum, febris quantum ad ideam fuit maligna, vt in verborum serie, ac examine patefecimus; ergo præter primas indicationes, & qualitates, quæ poterant indicari ab essentia eius, alexipharmaca, siue antidota sunt indicata, vt est bolus armenus, terra sigillata, lapis belzuar, & alia id genus antidotorum similia. Verum, quia causa erant cruditates, loquendo de procatarticis seu occasionalibus, propterea cum istę massam sanguinis corrupissent omnem, putredinem causando insignem, atque effatu dignam; ergo oportebat refrigerare, ventilare, euacuare duplici auxilio, missione sanguinis, & pharmaco. Verum causa pu-

tredinalis non erat bilis pallida, atque flaua, sed suspicor fuisse aut vitellinam, aut eruginosam, aut porraceam, ab adusto calore & feruido causatam; propterea insurgit indicatio, post corporis purgationem esse summe refrigerandum.

Quantum ad secundum, cum supposuerimus phlogosim fuisse in præcordiis, insurgebat indicatio inflammationem omnem impediendi, auxiliis repellentibus, & deriuantibus ex parte refrigerantibus, quorum omnium primum locum obtinet missio sanguinis. Minera ergo erat tripartita partim circa naturalia viscera, quæ semper fuere cruditatibus obsessa, partim circa animalia, vt sopores, mutitates, somni tenues partim circa vitalia, vt extremorum refrigerationes atque hæc omnia ad breuiora capita reducendo, dicamus, vires non fuisse multum fortes propter colluuiem symptomatum, prosternentium illas; ergo indicatio erat desumenda a viribus, atque cum cibis euchinis illas reparare, non more Hyspanico, aut Italico, sed quæ clemẽtia cæli, & mos partenopeus docere videntur, vt disputatione particulari de ratione victus more partenopeo videor locupletissimus; quare viribus incumbendum conseruando, & augendo illas, causam morbi, & prauitatem educendo immediate, & tandem tertio loco symptomata singulis diebus apparentia, leniendo, atque præcauenda.

Accersito itaque medico, prima die a missione

sanguinis erat abstinendus, præsertim cum paulo prius multum potasset, & cruditates fuissent circa primas venas, quamuis fuerint mixta multa excrementa biliosa; erat deinde prohibenda putredo acidis frigidis, & succis antidotis, vt esset bolus armenus, terra sigillata, teriaca, belzuar, multaque alia antidotorum genera supra narrata; atque perseuerantibus accessionibus febrium, calorem febrilem alterare, exhibēdo potum aquæ frigidæ, aut syrupum aliquem alterantem, vt de cicorea, endiuia, de oxizaccaro, & aliis, eoque magis, cum tota massa sanguinaria fuisset efferue facta, atque corrupta, die tamen sequenti venis ex parte succis crudis inanitis, arbitror Hyppocratem secuisse venam, quamuis siluerit, eoque magis cum turgens esset materia caput petens, vt deliria demonstrarunt. *Opi. Mercur.*

Miror tamen Mercurialē) curasse febres in genere, putans curatiuam adhibere methodum pro languentibus curandis in genere, atque in futilibus rebus insistens, necessaria deserens, laborantem legimus in curandis febribus in genere tam Philisci, quam etiam Sileni earumque historiarum ne verbum quidens proponens, ac docens. *Mercur. curauit febres ingē-tem, tam Philisci, quam Sileni.*

Nostræ tamen fuerunt partes, sicuti polliciti fuimus, verborum omnium proponere methodū, docendique viam, hunc affectum ab Hyppoc. propositum facta missione sanguinis indicata ab essentia morbi, a causis morborum, a sympthomatibus, in

surgit indicatio noua, num Hyppocrates corpus purgauerit, & si non purgauerit, qua die insurgebat indicatio corpus fuisse pharmacandum?

Quæ impedire poterant Hyp. ne fuisset purgatas die prima languens.

Mea est sententia, quod nisi fluxisset aluus cruditatum, & crudarum materierum, procul dubio Hyppocrates purgasset hominem die prima, sic ipse docuit quarto aphoris. 10. eoque magis, cum esset materia summopere turgens praua, pernitiosa, & pestilens; quo fit, vt perseuerante eadem morbi sæuitie die quarta postquam die tertia erant sympthomata prauissima, vt inflammationes in diaphragmate, cætera excrementa & venarum, atque intestinorum apparebant nigra, signa euidentissima adustionis internæ, putredinis insignæ, spirituales partes obsidentium.

Purgans ergo pharmacum erat indicatum a tot humoribus corruptis, specie differentibus, eorumque motu inordinato, & quamuis aluus fluxerat, sympthomatica tamen erat euacuatio, cum nulla sequeretur conferentia, atque tolerantia, sed in peius decideret languens; conueniebat ergo pro extrema, quam patiebatur, cachochima, humores educere die quarta, cum diebus primis magis porrò fuisset conueniens, fluente tamen aluo cruda, id non conueniebat, sed pharmacum ab Arabibus appellatum forte debile, respiciens ad causam, eiusque colluuiem atque copiam, respiciens ad vires, easque magis confirmans, quam prosternens; cum præsertim in horis

potuisset

potuisset debilitari magis a fortiori, atque vehementiori pharmaco.

Sylua tamen simplicium indicata esse poterat manna syr. rof. solutiuus, reubarbarum, triphera. Inter confectiones, aut diacatholicum prout, & vires, & natura languentis expostularet, aut maiorem, aut minorem vim pharmacorum; qua in re lapsus est Mercurialis, qui ab humidis abstinet, vt cassia manna, laudat tamen summopere clysteres; sed miror Virum alioquin in Galeni doctrina versatum, clysteres peccantem humorem non attingere. Accedit septimo; quoniam causa morbi erat humor adustissimus; & confirmatur magis, quoniam humor crudus per secessum, adustus perpetuo tempore euacuabatur; expostulabat ergo causa morbi pharmacum, quod ipsum fortiter foras educeret, ne commoti, ac turgentes succi partem obsiderent præstantissimam: credibile tamen erit Hyppocratẽ purgasse hominem die quarta, aut si non purgauit, saltem methodus id expostulabat, quoniam excretiones erant biliosę, pingues. De nigritie excrementorum nullam facit mẽtionem die quinta, signum euidentissimum forsasse ab arte fuisse purgatos humores, pinguia tamen perseuerabant, euidentissimum præcedentis adustionis signum, & massæ sanguinariæ colliquamentum: quo tempore duo erant scopi consurgentes rationalis medici, alterare in maxima copia; secundo antidotis vti, resistendo causæ mor-

Errauit Mercur.

morbificæ, in quibus non oportet iterum insistere, cùm satis superque de bezoarticis auxiliis locuti fuerimus, vt est smaraldus, vt sunt margaritæ, bezoar, theriaca, bolus armenus, terra lemnia, seu sigillata, de quibus, & antiqui, & moderni sunt locupletissimi, apparente deinde excrementorum suppressione die sexta, diuretica erant applicanda auxilia, aut forrasse enemata per secessum prouocando humores cum enematibus subtrahentibus, quem vsum præstare solent oleum violaceum, aut amigdalarum dulcium, cassia, diacatholicon, multæque aliæ confectiones per secessum educentes, sicut eccellentissima praxis partenopea methodica nos docet, & antiquiores præceptores discipulis tradiderunt.

Consequente deinde mutitate die septima, quoniam erat signum materiæ raptus ad cerebrum, tūc oportebit vti missione sanguinis reuulsiua a cerebro, quem vsum potuissent præstare hyrundines in venis sedis appositæ; in quo auxilio non est immorandum, scientes, quantum proficiant numerata remedia, videlicet appositio hyrundinum, quæ tantum abest, vt obsint, immo vero extinctis, & prope mortē existentibus, prosint, quamuis Argenterius de hoc remedio fuerit gloriabūdus, apud partes hætruriæ: nos autem adeo frequenter hoc auxilio vtimur, vt fateri cogar, non esse auxilium ita efficax in arte medica, sicuti præsens; apparuit deinde sudor vniuersalis, & frigidus, signum euidentissi-

mum

mum, naturam succumbere morbo; tunc ergo indicatio consurgit augendi vitalem calorem fere dissipatum cum hyacinto, confectione alchermes; & quoniam papulæ erant per cutim emanantes, tentandum erat per eandem regionem operari, scarificando per cutim, euacuando sanguinem per eandem regionem; vt saltim potuisset hæc euacuatio cutanea conferre naturæ, præcipue cum tentasset suum opus per cutim, quod autem esset in erum naturæ irritamentum, liceat obseruare signa: nam vrinam mingebat mordacem, signum euidentissimum vellicantis humoris biliosi, aut humorum crudorum, qui erant irritati a causa morbifica.

Subdit, sopore tenebantur) ex quibus liceat concludere, existente raptu materię ad cerebrum, conii cere possumus Hyppocratem purgasse hominem die sequenti; aut si id non fuit operatus, præstandũ erat, sequenti ergo die existente tanta humorum colluuie, calore foras expanso exanthematibus apparentibus, febre iam petente cerebrum, corpus erat purgandum, sumpta indicatione a numeratis sympthomatibus; die ergo nona ne firmaretur materia in cerebro, purgandum erat corpus, cum reubarbaro, agarico, & aliis pilulis, quorum formulas, & receptas hic non propono, cum gratia methodi docendę videar laborare, speranda ergo erat eductio materiæ a cerebro ad subiectas partes, ne lethargicus efficeretur homo, ne noua materia in cerebro firma-

retur,

retur, mixta ex pituita, & bili; ad quod confirmandum ducor eo argumento demonstratiuo, quoniam cum languens esset prope obitum, multa, atque crassa expulit per vias vrinæ; hæc & maiora arbitror adhybuisse auxiliorum genera Hyppocratem primum præceptorem; quæ remedia petita a natura rei nisi Hyppocrates exibuisset, ratio tamen exposceret fuisse exibenda: hæc de examine historiæ secundę: confero me ad quæstiones examinandas.

Vtrum excretiones die prima factæ, potuissent opitulari Sileno.

Controuersia Prima.

Ne videamur instituto deficere, ne ve difficultatibus ex historiis emergentibus, propterea postulat methodus difficultates examinare, propterea ad quæsitum deuenientes, examinandum, dicamus primo; nam peccantibus cruditatibus portiones earum fuerunt a natura foras detrusæ; præcedentibus enim cruditatibus aluus deiecit multa cruda, spumosa; biliosa; ergo portio causæ foras detrusa, contulit, & probatur; nam si in venis contenta fuisset materia illa cruda, tota masa sanguinaria fuiset corrupta, & obitus citissimus fuiset consecutus. Secundo non est inconueniens si pituita, aut bilis peccant in principio, aut varius humor in prin-

cipio

cipio expellatur, & argumentor demonstrante argumento; nam sicuti valet in arte, sic valet in natura; sed ars purgat corpora etiam principiis, ergo natura purgante in principiis cruditates, aut humores, melius habebit, ratione sumpta a natura rei; videmus siquidem artem imitari naturam, & opera artis cum natura pari passu incedunt.

Tertio turgentes in Sileno videbantur esse humores praui, vitiosi, crudi, quos natura tẽtauit expellere; ergo contulerunt. Quarto si medicus pararet potionem, & eam natura ad intestina non expellit, quoniam tota causa morbi erat in primis venis, summæ, & extremæ erant cruditates; pero per quam regionem erat expellenda causa morbi cruda, aut per vomitum, aut per secessum; primum natura non tentauit, ergo si tentauit secundum, illud erit conferens naturæ. Quinto si esset censenda mala ista euacuatio, in principio facta esset, ratione temporis; sed tempus nihil obstat, ergo. probatur sequela maioris ex Hypp. 2. aph. 29 inchoantib. morbis esse aliquid operandũ, propterea, q; superior facta natura, quod superest cõcoquit, & expellit; tota ergo causa morbi cum esset cruda, atque copiosa, non poterat a natura vinci, nisi eadem natura portiones cruditatum foras non expulisset: id non præstitit, ergo dicẽdum, hoc euacuationis genus potuisse multum conferre naturæ. Oppositum euentus morbi demonstrauit; etenim euacuatio hęc facta in principio fuit symptho-

 matica,

matica, præternaturalis, quoniam omnis euacuatio facta in principiis, est præternaturalis, ex Gal. quarto aph. 22. fuit enim euacuatio per viam irritamenti punctionis; etenim impossibile est credere, naturam expellere morbi causam crudam; ergo erit asserendum fuisse sympthomaticam euacuationem. Verum bipartita erat cruditas, portio altera erat in primis venis, portio secunda erat in regione secunda, conclusa atque coercita, quæ cum putruisset, accepit gradus putredinis intensiores cum corruptelá humorum maiori, atque adeo, qui erant præsentes humores biliosi expultricem irritarunt.

Opi. Vallesii noua proponitur eaque examinatur.

Vallesius scilicet lib. controuers. cap. 3. dicit esse duplex genus sympthomatis in re euacuata; primum est in quali, & vtrumque genus esse cohibendum; nam ex Hyppocrate habemus, si talia qualia euacuantur, confert, & leuiter ferunt, primo aphoris. aphoris. secundo, & hæc sententia aphoristica frequentissime ab Hyppocrate est repetita; vt autem Vallesii opinio intelligatur ab omnibus, notandum fingit Vallesius quatuor ægrotos; sint duo in biliosi morbi declinatione & expellant magnam bilis copiam vsque ad animi deliquium; alter deiiciat pituitam sinceram, sed non in maiori copia, sicut est consuetum hominibus, sit alius in melancolici morbi principio, & expellat atram bilim; quartus in declinatione sinoci expellat sanguinem per nares omnes, isti expellunt sympthomaticè, & præter naturam,

diuersa

diuersa tamen ratione, primus in quantitate, secundus in qualitate, tertius in tempore, quartus in regione, sed derelictis omnibus aliis deuenit Vallesius ad tempus, quod videtur irridere, dicens, hoc non obstare in principio.

Respondent aduersarii esse malum ratione, qua concoctio non est facta & ante tempus coctionis materia expellitur, aduersus quam opinionem instat Vallesius; nam si expellitur portio materiæ, & causæ morbi, atque adeo minuitur copia, ergo debet esse vtilis euacuatio facta in principiis morborum: sed respondent aduersarii, euacuationem factam in principiis esse malam, quoniam facultas debilitatur, quæ euacuatio non fit a facultate expellente, sed ex retentiua debilitata.

Respondet Vallesius, rem hanc esse probabilem, ac proinde non negare fieri maiorem virtutis resolutionem, quam pro euacuationis modo; accidit autem hoc quando præter copiam humoris dicitur esse virtutis resolutio, & sic dicit esse euacuationem malam, & nocere, non ratione copiæ, sed ratione virtutis debilis, subdit idem Vallesius esse notas euacuationes sympthomaticas ex copia humorum, nō autem ex virtutis debilitate; subdit idem Vallesius paulo infra in eodem capite, aliqua esse mala, vt signa, aliqua esse mala vt causa, & e conuerso, hæc autem doctrina fuit vsurpatissima apud Galenum 4. aphor, 46. sicuti eandem recipit Conciliator in dif-

ferentiis; quare concludit fieri maiorem virtutis resolutionem, quam pro euacuationis modo, pendere tamen magis ex copia, quam ex virtutis debilitate.

Verum (pace tanti uiri) dixerim, quæsita, eorumque absolutionem non absoluit Vallesius, sed videtur confugere ad virtutis retentiuæ debilitatem in principio: nunc vero ad copiam peccantium humorum, cupiens fugere difficultates, quę ex tempore principii pendent, atque oriuntur.

Aduersus Vallesf. demonstratiue argumentatur. Sed contra hominem sic argumentor, si facultas retentiua supponitur in principio debilis, ergo debilior expultrix; quare vitium debilitatis videtur dependere ab vtraque, & non magis ab vna, quam ab altera. probatur antecedens; nam debilitas retentiuæ pendet ex quantitate materiæ, impotentis naturæ substinere causam morbificam; ergo facultas expultrix irritabitur, & debilitabitur a qualitate materiæ: quæ ergo maior ratio est, vt sit arguenda debilis retentiua, non autem expultrix, si ad retinentem pertinet, quantum peccans, ad expellentem quale peccans: quale vero fundatur in quanto, atque vtriusque vitium ad idem prorsus tempus spectare videtur; videlicet ad principiū; si ergo euacuatio symptomatica censenda erit, propter retentiuam debilem in principio in eodem principio, debilis erit expellens vt diximus, propterea in hac difficultate antiquissima, & altissima, in scholis diu contemplatus,

 deueni

deueni in eam sententiam, vitium totum pertinere ad naturam, quæ facit saltum ab extremis sine medio, & quoniam nouam videor docere doctrinam, propterea a me, & verissima, & noua sunt proponenda principia.

Noua, ac met hodica proponitur doctrina.

Tempus, vt ab eo exordiar, est mensura motus secundum prius, et posterius, 4. phisicorum cap. de tempore, atque res externa cum sit, an sit appellanda principium, an augumentum, an vigor morbi, parum refert, nisi totum pendere videretur a mobili, seu a materia, atque cuiuscunque mobilis finis vltimatus, nutritio est, siue loquamur de chylo, siue de humoribus; nutritio autem omnis efficitur beneficio omnium concurrentium, propterea cum facultas sit attrahens, propterea attrahit, vt retineat, retentiua famulatur alteranti, concoctiua expulsiuæ, & tandem omnes quatuor vni soli facultati inseruiunt nutrienti, scilicet, gratia cuius chylus fit, sanguificatio consequitur, partes denique omnes nutritione gaudent, tanquam vltimato fine nutrientium partium; inde sequitur naturam facere saltum ab attrahente ad expellentem; uix enim materiam attraxit, vix retinuit, nihil concoxit, & statim atque actiros expellat omnia, ex qua expulsione facta ita citissima atque intempestiua, arguendum erit, materiam esse ineptam ad nutritionem, quoniam non fuit neque retenta, neque concocta, sed statim foras detrusa, atque expulsa.

Proponitur opinio quæ fuse declaratur.

Difficilis notatur hic doctr.

Vlterius

Vlterius si petas, quare saltus naturæ tam extremus?

Respondetur, vitiosam fuisse materiam, quam natura non audet retinere, propter multa ac infinita, quæ consequi possent incommoda.

Curiosum dubium. Peteret secundo aliquis, quodnam esset maius inconueniens, retinere materiam prauam in principiis morborum, an expellere illam?

Respondetur cum Gal. quarto aphoris. 22. expulsionem magis esse damnatam quam retentionem; ratio est, propterea quod cum humor sit naturæ dissimilis, quoniam crudus, iudicare debemus esse mixtum crudum cum aliquo concocto, & congerie materiæ, quare confusa natura expellens sensibiliter frustrata suo vltimo fine, videlicet assimilare, quæ sane nutriendi actio fit ope chilificationis, atque sanguificationis, appositionis, aglutinationis, quæ sane omnia tria coctionum genera quatuor illis gaudent facultatibus, videlicet attractrice, retentrice, concoctrice, expultrice: paruifaciendum ergo semper fuit tempus principii, vt principium, immo timendum maximopere illud, propter rationem demostrantem assignatam, atque liceat exemplo declarare. Videmus siquidem clarissima experientia inter omnia genera fluxuum, lientericum esse omnium prauissimum, atque natura frustatur a suo fine, & proprio nutriendi munere, atque veluti efficiens saltum natura, ab illo fine ruunt omnia tanquam

Lientericus ex omnium fluxuũ pessimus non proponitur.

quam a primo principio vitiato; quare concludendum, principium morbi, seu prima morbi ætas concurrit in parte curatiua tanquam signum, ac proinde euacuatio sympthomatica poterit prædicari tam de principio, quam de augumento morbi, quam de statu; oportet tamen contemplari vires naturę, morborum, res quæ expellitur, parum curantes de tempore propter rationem assignatam, ex quib. omnibus bene declaratis, facile est argumentis respondere. Si tota est in primis venis collocata cruditas, tunc omnia contulissent; sed portio cruditatis permeauit intus vsque ad secundam regionem, in qua humores susceperunt gradum putredinis maiorem; quam doctrinam esse verissimam euentus demostrauit pernitiosissimus.

Ad secundum Respondetur, differre opera naturæ ab operibus artis, quoniam hæc cum electione fiunt, illa vero non.

Secundo Respondetur, artem expellere humores in principiis turgentes, ipsa vero natura grauata ab illis, nihil foras detrudit; nam per corpus vagantur omnes aut in partem aliquam nobilem irruunt, ibique firmatum genus aliquod praui sympthomatis generant.

Ad tertium Respondetur, turgentes erant humores, & crudi eosque crudos si natura expellisset foras, per viam irritamenti expellisset.

Ad quartum & quintum patet ex dictis, quod

nam

nam ſcilicet conferat tempus ad euacuationes peragēdas? in qua controuerſia prima, antiqua nimis in ſcholis, arbitror, opinionem meam difficultatem omnem, & nouam, & antiquam euacuaſſe, quam ſi recentiores animaduertiſſent in errores fortaſſe quam plurimos non incidiſſent.

Controuerſia ſecunda de Riſu & Cantu Sileni.

De horum verborum ſenſu atque Hyppocratis mente, legimus authores adeo diſſentientes, vt varii varias propoſuerint ſententias, quas omnes ordine examinantes, liceat nobis exordiri a recentioribus.

Prima opinio eſt Mercur. Prima opinio eſt Mercurialis interpretātis verba diuini ſenis, in quibus explicandis multa ſupponit.

Primum ſuppoſitum eſt, Riſum non pertinere ad animam, ſed eſſe opus coniuncti: probat autem hoc ſuppoſitum ſermone prolixo, dicens, riſum non eſſe paſſionem ſentientis animæ, quoniam bruta riſu ſunt orbata; ſecus eſſet ſi pertineret ad ſentientem, neque pertinet riſus ad motiua; fit ſiquidem ſine cognitione præcedente, neque pertinere ad intelectiuam, quippe quæ cum ſit ſeiuncta a materia corporea, & pueri ſtatim ac nati ſunt, rident, ſtatuit propterea Mercurialis, fieri cum ſenſu, ac facultate præcedente.

Secundo ſupponit, riſum habere originem ai

aliqua

aliqua voluptate, quæ consequitur motionem, ac calefactionem partium spiritualium, quo fit vt spiritus dilatentur.

Tertio supponit neque cor, neque diafragma esse domicilia risus, sed cerebrum; nam in cerebro vis cognoscitiua est collocata, dum incalescit, causat risum, effundendo spiritus in os, atque in buccales musculos; quare vis immaginatiua cerebri læsa veluti excalefactione similes motus edit.

Quarto supponit cerebri calefactionem non debere esse immediate causam risus, quoniam phrenitici semper rident, sed debet esse, quæ non comburit: ex quibus omnibus concludit, risum Sileni fuisse ex cerebro calefacto, sed non fragante seu comburente, quoniam cecinit cum cantu, hæc Mercurialis.

Secunda opinio est Vallesii fuisse motum conuulsiuum septi transuersi, quasi propter ingentem calorem partes non poterant contineri, quę ad septum transuersum pertinebant, neque prorsus erat signum animi, hæc habet Vallesius in hoc commentó, & quinto controuers. nono, vbi ex percussione septi transuersi agitato intus calido, ita vt non possit facultas septi continere, sic refert Aristote. 3. de part. cap. 10. ex vulneribus septi transuersi multis hominibus fuisse risum excitatum. *Vallef. opin.*

Tertia opinio est Montani, quæ prius fuit Auicennæ, & Auer. in canticis, risum fuisse causatum *Montani opin.*

ex vapore sanguinis, qui eleuati vapores faciebant ipsum delirare; risus autem, & cantus supponebant sanguineam inflammationem, probatur hæc opinio, quoniam erat temperatæ naturæ; agebat enim annum vigesimum, in qua ętate multum viget sanguis, propterea vapores calidi, atque humidi ascendebant ad cerebrum, & causabant delirium, quod sane non erat ferinum, sed placidum cum alacritate; ea siquidem est natura bilis, vt faciat furorem, melancoliæ, vt reddat pertinaces homines; sanguinis vero vt reddat homines benigniores; causa ergo fouens hoc delirium, erat sanguis, hæc Montanus cum Arabum schola, eamque opinionem comprobant cum Hyppocrate, qui 6. aphor. 53. dicit, delirium cum risu minus malum, præcipue cum a sanguine pendere dicatur.

Porro disputatio hæc de hac passione symptomatica, risu, videlicet & cantu, exposcit non nullas conclusiones, a quibus problematis solutio omnis pendet, atque oritur.

Prima Conclusio.

Aduersus Vall. rationib. demõstrãtib.

Risus in Sileno non fuit motus conuulsiuus septi transuersi, propter calorem partium ad eam regionem pertinentium; probatur hęc conclusio, primo; nam tunc sequeretur, febres ardentes semper eundem producere effectum, vaporibus igneis sursum eleuatis ad septum transuersum seu ad diafragma.

Secundo

Secundo, & fortius, quoniam inflammato ore ventriculi, risus sequeretur maior, quoniam maior conuulsio, atque ratione partis neruosæ esset validior. & confirmatur, quoniam partes illæ ventriculi circa os pertinentes, omnes vapores, & exhalationes igneas perciperent atque continerent; quod non videmus; calor ergo partium sibi vicinarum septo transuerso neque conuulsionem, neque risum parere possunt, sicuti neque septi transuersi calor id poterit efficere, cantum videlicet languentibus. Tertio probatur, nam si fuisset motus conuulsiuus, aut ab inanitione, aut a repletione habuisset originem, iuxta doctrinam Hyppocratis, 5. aph. in primis textibus, sed ex nullis dictarum causarum, ergo: minor euidentissima est, cum sit maior certa; etenim diutius perdurasset affectus ille conuulsiuus, cuius certe fecisset Hyppocrates mentionem, quod non fecit, ergo. Quarto septo transuerso inflammato, deliria, quæ sequerentur, obscura essent, atque ferina, communicata caliditate cordi sibi proximo vicinoque visceri; deinceps cerebro, atque adeo non poterat delirium ita benignum apparere, cum risu coniunctum; neque mirum si illato vulneri recenset Hyppocrates multos periisse, ridendo; ratio est, quoniam ille non erat verus risus, sed sardonicus, & tunc erat conuulsionis species, non autem hoc delirium cum risu: hæc quoad Vallesium.

Secunda Conclusio.

Aduersus Merc. Lapsus est Mercurialis, qui volens huius sympthomatis reddere rationem, quot proposuit supposita, tot errata tradidit, quoniam nemo negare poterit, risum esse coniuncti, cum sit passio animi influentis in corpus; similiter sedem esse cerebrum, neque cor neque diafragma, eoque calefacto oriri videmus risum cum voluptate fieri, neque calefactio dicitur esse cerebri combustiua, quoniam semper phrenitici riderent; sed quorsum hæc a Mercuriali proponuntur? porro hæc supponunt risum naturalem, cuius causa sit calor, voluptas excitat, intellectio ex parte concurrit, de quibus abundantissimus legitur Mercurialis, sed de morboso risu, ac vitiato, ac præternaturali cantu ne verbum quidem profert, quorum certe sympthomatum reddenda est causa, & ratio, sed obliuioni omnia dereliquit; quare concludendum, errasse Mercurialem, qui horum duorum sympthomatum causas non inuestigauit adæquatas.

Tertia Conclusio.

Aduersus Montanum. Montani opinio non est recipienda, & probatur, quoniam sympthomata erant sæua, atque inflammati cerebri signa omnia aderant, summumque calorem demonstrabant omnia signa, non autem erat sanguineus vapor, causans deliriū cum risu, &

cantu,

cantu; probatur, nam signa erant adustissimæ materiæ biliosæ torridę, sicut lotia, & alia signa clarè demonstrabant.

Quarta Conclusio.

Nos tamen substinemus, sympthoma hoc fuisse vnius diei, neque in toto progressu hystoriæ fecisse mentionem ipsum Hyppocratem; quare sub vna die, sub vna obseruatione sola, fuit facta mentio ab Hyppocrate; quare mea est opinio, totam quæsiti rationem, ac problematis esse petendam ab obiecto; etenim ridebat, eodemque tempore canebat; propter obiectum ergo aliquod, repræsentatum imaginatiuæ facultati, in quo obiecto, seu phantasmate duplex erat repræsentata formalis ratio, videlicet admiratio ex vna parte, gaudium ex altera: obiectum ergo imaginationi repræsentatum, duplici qualitate videbatur indutum, primo admiratione, secundo lætitia; qua ratione factum est, vt eodem tempore delirando caneret, atque rideret; qua ratione arbitror a scriptoribus præter omnem causam, fuisse motam controuersiam de risu languentis Sileni; postquam videmus variam esse sympthomatum seriem, interdum languentes delirant delirio ferino, mox rident, iterum delirant, iterum rident, iterum redeunt ad actiones animales sanas, bene discurrunt, bene imaginantur; sic ortum fuit com- *Opin. nostra verior exquisitius docetur.*

mune:

mune dictum habere languentes, (lucida interualla,) videmus eos dormire, & versus canere, multa dormiendo dicere, delirando profiteri, vt pluries me obseruasse vidi varios languentes, nonnullos delirantes mæstitia affectos, & silentes; silentium autem, ac pauca verba, deliria sunt omnia, vt docet Galen. non ergo insistendum in sympthomatibus, nam videmus languentes, ridentes, canentes, ferinos in actionibus, mox silentes, iterum ridentes; in quarum actionum vitiatarum causis, & sympthomatibus variis non oportet diu immorari, præcipuè, cum vapores celerem habeant ad cerebrum motum, facili negotio discutiantur, iterum mouentur, atque cerebrum afficiunt interdum mixti, interdum sinceri in eodem morantur, atque quiescunt: interdum multi, interdum pauci, interdum acres, & mordaces: interdum mitiores penes peccantem causam biliosam, sanguineam, melancolicam; penes quantitatem eorum, penes qualitatem eorundem vaporum, deniq; propter varias substantias cum illis com mistas.

Sed idem problema reddit disputandum de nouo, vnde risus, & cantus?

Respondetur ex obiecto variæ imaginationi oblato, variisque sympthomatibus, atque vaporibus illud afficientibus; etenim risus est admiratio cum gaudio, sicut scriptores omnes definiunt, præclarissime tamen omniscius Fracastor.) ex admiratione

ergo

ergo prouenit risus, ex gaudio vero, tanquam ex re læsa, cantus consequitur; quapropter non est inconueniens in bona philosophandi via, obiectum morbosum ex bile eleuatum, vel ex alio vapore imaginantem facultatem affici: illud autem obiectum duplici habitu videbatur inductum, admiratione, videlicet, & lætitia; qua propter imaginor languentem prius ridere, deinde canere; propter obiecta ergo varia in varijs temporibus immaginationi oblata, posse varia facere opera, satis, superque declarasse arbitror, id quod forte à scriptoribus oscitanter fuisse prætermissum, ad quod confirmandum ducor, propterea quod risus, & cantus non fuerunt affectiones diuturnæ, sed fere instantaneæ passiones, & pauco temporis momento durantia symphthomata; & hanc opinionem sicuti iuniorem, & nouã arbitror, ita methodo magis innixam, & numeratis omnibus veriorem, præcipuè cum sit consona intellectui, & omne problema ex hac opinione mea euacuatum videor; contemn- plentur alii doctiora, & veriora si poterunt.

Con-

Controuersia tertia, vtrum excretiones pingues signa essent, pestilentem febrem fuisse in Sileno; et vtrum excretiones pingues potuissent conferre Sileno.

Quinta die excretiones apparuerunt in Sileno pingues) ex quibus verbis magna se se offert dubitandi occasio, vtrum excretiones pingues sint signa ad conuertentiam dicta pestilentis febris?

Et videtur, quod sic, ex Galen. 3. epidem. comment. 3. 56. vbi dicit, quæ in ea euacuabantur, erant synthexis. i. colliquatiua excrementa, hoc autem sympthoma videtur esse perpetuum, pestilentis febris signum: ergò euacuatio illa rerum pinguium, erat signum pestilentis febris.

Secundo ex eodem Gal. qui 10. meth. cap. vltimo, assignans differentiam inter febres ardentes & marasmodes, dicit, (si liquantur carnes cum adipe, apparent excretiones pingues ad extra; si vero sine adipe, siue si fuerint, in marasmodes febres transeunt) clarissimo argumento vtitur Galenus; etenim infirmi, qui per aluum, quod liquatur, excernunt, qui nisi prius vel morbi violentia, vel medicorum inscitia moriantur, in marasmodes febres incidunt; siquidem quoad materiam vberem habent, hanc colliquant, vbi illis tum adeps, tum caro mollis deficit,

ficit, duras, & ægre liquabiles carnes ſiccant, a quibus propter ſiccitatem nihil defluit, veluti nec ab iis, quæ ſale ſunt ſiccatæ; ſi quis has quoque torrere parans, pari cum illis igni admoueat; nam, & ſicciores earum carnes reddentur, & corii ritu durabuntur, nec defluet ex his ulla ſenſibilis liquatio) hæc habet Galenus, formalia hic ponendo verba pro lectoribus.

Ex altera parte videtur eſſe ſignum ſalubre, ex Galeno 4. die tuenda valetudine cap. 6. vbi docet; concreſcit enim more iuris in ſuperficie ſanguinis; conſtat enim cum ſanguinis ſero pinguedinem educi, pręcipue cum magna in venis copia contineatur; quare ſi citra dolorem, aut ſympthoma aliquod tale excrementum colliquatum apparebit, tunc certum erit plectoricam naturam eſſe arguendam; ergo non valet conſequentia, excrementum obſeruabitur pingue, igitur ſemper pendebit ex peſtilenti morbo; immo vero ſæpiſſime erit arguendum ſignum ſalubre.

Secundo probatur experientia euidentiſſima in vrinis corporum ſalubrium, in quibus magna rei pinguis apparet copia, nullo tamen præſente morbo, ergo. probatur, quoniam tanta eſſe poteſt pinguedinis copia in renibus, vt facili negotio ſuperuacanea ſubſtantia ſimul cum lotio foras detrudatur.

In hac controuerſia ſane in Galeni doctrina antiquiſſima, in ſcholis parum exagitata, apud medi-

eos vero practicos nihil frequentius, aut obseruatione dignum videor reperire, propterea liceat parum immorari in ea, atque methodo diuisiua vtentes, tanquam efficacissimo rerum inueniendarum medio, atque ordine.

Dicimus omnem colliquationem, eiusque differentias pendere aut a causa efficienti colliquante, aut a materia colliquata, aut ex loco, seu viis, atque ex colliquationis modo.

Caloris colliquantis differentia.

Quantum ad efficientem causam, dicimus, causas esse posse quatuor, primo videtur esse hecticus calor: secundus calor est ardens seu igneus simpliciter; tertius calor est ardens cum prauitate coniunctus, & appellatur ardes malignus; quartus est calor cum summa putredine coniunctus, quam doctrinam non esse imaginariam, sed Galenicam licet probare; etenim Galenus 10. meth. cap. vltimo, docet, quod caro suilla in prunis est similis febribus ardentibus; nam si colliquatur adeps, & pinguedo, statim decidit in prunas, subdit colliquatiuus etiam est hic calor; nam sicciores carnes exiccabuntur more corii, cum nulla tamen sensibili apparente liquatione.

Secunda causa est ardens calor, atque ardentis naturam continens, vt tertio de acutis, comm. 12. vbi habet, quando sincera biliosa apparent excrementa, tunc scias, febrem esse de genere colliquantium, quę ad tabem perducunt, vt Gal. 3. epid. 3. 34.

Tertia

Tertia causa est calor ardens malignus. 2. prognost. comm. 12. & comm. 21. docet hæc verba, duplicem deiectionum formulam reperiri, ambarum euenientium propter absumptionem, dissidentium vero, in quantum exigua glutinosa, & candida deiectio pinguedine absumpta ab igneo calore, non tamen vehementer maligno) ergo datur calor colliquans, malignus, qui textus a paucis intellectus, errorum infinitorum causa censetur adęquata; dicunt siquidem excretiones cãdidas, ac dealbatas esse chylosas, parum obseruatores doctrinæ Galeni, atque empiricos insequentes prçceptores, theoria Galeni ex parte deposita, atque neglecta, in varios labuntur errores: si ergo deiectiones istæ candidæ apparent a calore non multum maligno, ergo ex maligno calore causari, ac pendere necessario affirmare cogimur: nam si affirmatio, est causa affirmationis, negatio est causa negationis, & econtra, ratio logica docet euidentissima.

Quarta causa solet esse pestilens, & summe corrumpens calor, vt Galenus 3. epidem. 3: 57. vbi habet hæc verba, quę euacuabantur ea tempestate, erãt synteptica, scilicet colliquatiua, & hoc sympthoma est perpetuum signum pestilentis febris, ex quibus locis, & similibus clare colligitur, quatuor esse posse differentias inter calores differentes vario modo agẽtes, primus hecticus, secundus ardens simpliciter; tertius ardens malignus, quartus corrumpens pestilens,

Caloris differẽtiæ quattuor hic notantur.

lens, quæ sanè doctrina de pathologico statu morboso, est intelligenda, non autem de bono, ac salubri statu, & plectorica natura, in qua vegetus, ac vigens calor colliquat superuacaneam in venis pinguedinem; qua ratione soluuntur argumenta, præsertim illa in locis Galeni fundamentum habentia: illa porrò esse intelligenda iudicamus de statu salubri, quo tempore calor natiuus, sed excedens ex parte, interdum calliquat, effectus tamen non oritur prauus, neque morbosus, pinguedine ex parte minorata.

De subiecto quid consumitur methodus proponitur.

Quod si philosophemur de subiecto, quod consumitur, dico, non esse vnum, sed multiplex; vel enim est humorale, vel est carnosum, pingue, & adiposum: si humorale, bifariam, aut erit humorale secundum aliquam in se continens humiditatem, sic obseruamus in Galeni doctrina, secundas humiditates facili negotio absumi ab igneo calore, & sic transeunt in marasmodes, seu febres hecticas habituatas: quicquid enim cõsumitur secundarum humiditatum, facili negotio in vapores digeritur, vt idem Galenus docet, decimo methodi, vltimo: aut humoralis substantia consumitur cruenta, de qua Galenus 3. de causis sympth. cap. secundo dicit, aut pingue carnosum, & adiposum corpus consumitur, quod exemplo suillarum carnium vtens, apparet in prunis pingue corpus, propter igneum calorem consumentem.

Quod

Quod si loquamur de loco, in quo fit talis consumptio, & colliquatio, dicimus, quod locus, aut est intestinalis, aut neruosus, more iuris pulli desuper natantis, aut more telæ araneæ, vt Galenus 3. de prognosticis puls. 4. docet, immo vero ratio id confirmare videtur, propterea quod ea est conditio agentium phisicorum, vt si imprimantur actiones in obiecto vario, quæ vario modo recipiendo illos actus, variæ videntur impressiones, interdum subiectum est solidum, firmum, & carnosum, eoque tenuiori reddito per vrinas expurgantur sępissimè, & sicut pars solidior per secessum, ad quam partem solidiorem explicandam me confero; rei igitur consumendæ colliquandęque substantię exposcit ratio, vt si fibrosum, ac densum, obtineant subiectum, vt eo fortis calor, ac vehemētissimum efficiens requiratur, tunc eo citior, & velocior sequitur actio. Secundo temporis diuturnitas, sic obseruaui in infinitis languentibus obseruationum mearum, anno existente vigesimoquarto, sub pauco temporis spatio, interdum excretiones pingues sicut in Illustri Præside Sacri Consilii D. Petro de Vere ab Aragonia, qui propter discrepantia inter nos consilia, atq; oppositas, diuersasque Medicorum obseruationes, misere periit.

Discrepātia medicorum cō silia mortes causāt

Sed tempus est, vt nos præcludamus sermonem de colliquationis modis loquentes; si dicamus, viæ aut sunt latentes, aut patentes, quod sub clariori sty-

lo

lo dicimus colliquationem, aut fugere ſenſum, & eſſe inſenſibilem, aut ſenſibilem iuxta ſubſtantiam, quæ colliquatur, iuxta differentias cauſarum agentium, ſed ſatis arbitror me difficultatem de excrementis ſyntepticis abſoluiſſe.

Vtrum exanthemata, ſi in Sileno apparuiſſent in maxima copia, morbum terminaſſent? deque eorum natura, fusè diſputatur.

Controuerſia Quarta.

Inter febres malignas ſatis raræ ſunt, quæ cum exanthematibus non appareant, cutis non fędetur, medicorum mentes ab hac excretione cutanea turbatæ non appareant, auxilia medica indicata, aut non exibeantur, aut non ſine magno vitæ diſcrimine, propterea ſumpta occaſione a Sileno, de eius exanthematibus loquendum.

Altius ergo petito exordio de eorum natura diſſerendum, de qua adeo ieiunos legimus ſcribentes, vno ſolo excepto Auicenna, in lib. 4. fen. prima, vbi habet, quod apparet aliquando cutis ſubalbida, aliquando rubra, interdum velocis apparitionis, interdum velocis occultationis) ex quibus verbis duo colliguntur, primum calor, quo ſuffunditur cutis, ſecundum verbum eſt motus.

Quan-

Quantum ad colorem, duos solummodo tangit Auicennas, videlicet rubrum, & album; arbitror per album esse intelligēdam excretionem suppuratam: Iacobus de partibus, alios docet colores, videlicet violaceos, nigros, liuidos, de quibus coloribus infra.

Nos vero ex verbis Barbarorum poterimus essentiam exanthematum colligere, exanthema est vapor venarum cutim afficiens, ex humorum corruptela dependens, cuius motus tarditate, acceleritate apparitionis perscribitur. *Exanthematum essentia proponitur.*

Dicitur primo loco vapor, qui bifariam obseruatur, aut simplex, & nudus, aut cum præsentia peccantis materiæ, scilicet cum fuligine pingui, aut crassa densaque materia, qui sane vapor cutim afficit, eamque fædat variis coloribus; hoc autem est loco subiecti ex humorum corruptela, pendens loco efficientis causæ; quoniam vero ea vaporis conditio est, vt cito generetur, cito etiam absoluatur, propterea eorum natura, aut celeri; aut tardo motu terminatur, cito apparent, cito soluuntur, sub vna die apparent infinita, delitescunt sub altera, quandoque diutius durant, tanta est vis, atque irruentis vaporis natura in cutaneas partes, vt quæ celeri motu ad illas demandantur, celeriori motu discutiantur, dissipentur, euanescant; sic obseruamus illico apparere, illico occultari, vt videar vti verbo barbaro, propter poros apertos, materiæ caliditatem, eiusdemque tenuitatem, difflabilitatem, quæ vix cutim tangit,

vt

vt cutis suffusa, aut non obseruetur, aut statim euanescant omnia.

An autem possint copiosi vapores cutim fædantes, morbum, aut febrem terminare, in dubium posset reuocari, propterea altius petito exordio, perquirendum, quot sint species, & vaporum differentiæ, cutim fædantes, atque inficientes; ab hoc siquidem capite bene absoluto, atque intellecto, quæ siti solutio pendet omnis.

Cutis actione caret. Cutis in corpore humano actionem non habet; sed solummodo usum scilicet recipiendo uapores, & materias, quæ ad cutim diffunduntur, & Galenus lib. de causis morborum, 6. eandem doctrinam luculenter docet, propterea ad methodum, tanquam ad sacram anchoram, recurramus.

Methodus, quot modis cutis fædetur.

Longa nimis esset disceptatio de differentiis enchimatum seu excretionum cutanearum, aut clariori stylo loquentes sudaminis venarum, nisi, quæ a natura petenda sit methodus, & pateat, & omnia doceat.

Excretiones cutaneos sudamina venarum cum sint, aut biliosa, aut pituitosa, aut melancolica, in quibus inuestigandis methodo omnia docendo dicamus.

Vel biliosus merus vapor foras detruditur, vel putredine circumscribitur; si solus vapor flauitie obseruatur,

feruatur, ſuffuſus bili ex more roſaginis, totus corporis habitus inſpicitur.

Aut circumſcribitur vapor cum putredine, & ſic naſcitur affectus, qui appellatur herpes, diſtinguitur tamen ab eriſipelate, materiæ ſubtilitate, qua craſſitie in bilioſa materia putreſcente ibi exiſtente, ſequitur appellari aliquando herpetem depaſcentem miliarem, tamen aliquando ratione figuræ ſacrum ignem appellant, ſicut greci dicunt Iſtiomeni, ſcilicet inflammationem a ſincera colera. Aut cum putredine circumſcribitur varius humor putridus, aut cutaneas detruſus in partes, ſic legimus apud Galenum, & ſcriptores omnes eriſipelas edematoſum ſub dominio pituitæ ibi exiſtentis, aut eriſipelas phlegmonoſum dominante ſanguine, aut eriſipelas ſcirroſum cum permiſtione melancoliæ, eadem philoſophandi ratione dicimus, in ſanguine phlegmon, eriſipelatoſum, phlegmon ſcirroſum, phlegmon edematoſum. Rurſus ſanguis per poros venarum emanans bilioſus tenuis, ſic morbilli, ſi craſſus terreus variolæ oriuntur, ſic in tractatione mea, de morbis puerorū videor locupletiſſimus; quod ſi ſanguis emanet ex venis, tunc putredine inſigni putreſcere poterit generando bubones prauos à febre maligna dependentes; quare ad methodum omnia poterimus reducere, dicentes, vel eſſe ſanguinem inflammatum, atque excalefactum, & tunc numerati fiunt affectus cutanei. Vel puſtulæ oriuntur ex pu-

tredine eiusdem, & ichores oriuntur seu exanthemata dicta; tunc autem oriuntur, quando ichorum copia abundat in venis, vt Galenus. 3. de causis sympthom. cap. 2. docet, quod si pituitosæ pustulæ appareant, non oportet significare quot genera poterunt oriri, propterea quod penes adurentem calorem, aut frigus condensans, & nodi, strumæ, glandulæ, uerrucæ, claui, cosli, uari, infinita denique alia pustularum genera cutim afficientia, præsertim scabies a salso, ac seroso humore ortum ducens, eademque philosophandi ratione de melancolia dicimus, in qua, & lepræ, & cancri, & elephantiasis oriuntur.

Methodus proponitur differentiarũ ab euentu ipsorum exanthematum.

Rursus differentię desumuntur ab euentu; si ab euentu, quædam sunt criticæ, quædam sympthomaticę; si criticæ, conditiones earum esse debent variæ, atque quam plurimæ, primo vt sint latæ, secundo rubrę, tertio copiosæ, quarto in toto, quinto cum febris remissione, sexto in die critica apparentes; septimo cum coctionis saltim signo aliquo.

Quod si sympthomatis nomine insigniantur, tunc dicendum, exigua, atque angusta esse praua, violacea, liuida esse prauiora, pauca, demostrare prudenti Medico naturam esse a praua materia concitatam, atque irritatam ad foras detrudendam morbi causam; quod perficere non potest, sed veluti digito significare, eoque magis prauiorem indicabunt naturam, quo magis pars determinata afficietur; si-

cuti

cuti cordis regio, spirituales obsessæ partes, quibus accedere solent febrium incrementa, tirannici dies, solutioni morborum non dicati, sed naturæ operibus, aud fatales; cruda tamen si appareat, sicut in principiis, tunc complementum erit omnis symphomatis; sed vndenam eueniat euanescentia tarda, aut celer

Pro cuius doctrinæ declaratione maiori, quæ ad actum practicum non parum conducere videtur, liceat ad methodum recurrere.

Effectus numerati curanei produci nulla ratione possunt, nisi multa concurrant.

Primo pororum apertio, secundo fluentis vaporis natura, eiusque subministratio pauca vel multa; tertio viscositatis, ac putredinis soboles peccans vapor.

Quantum ergo ad poros, aut obseruamus densos, aut raros: Quantum ad vapores, vel pauci, vel multi: Quantum ad qualitates calidus, calidior, aut a biliosa materia dependens, seu vaporis conditio, & idea. Quantum ad primum esse potest sordida putredo, atque viscosa, quæ annexa vapori, diuturnam causat in poris adhærentiam, illud supponentes, exanthemata esse venarum sudamina: desero in præsentiarum facultatum robur, atque imbecillitatem in expulsionibus, atque retentionibus, ceterisq. operibus obeundis, aut ex vi morbi expellente natura.

Dubitatur, an ſint collocanda exanthemata in genere abſceſſuum?

Reſpondetur affirmatiue, propter paſſiones carnoſo generi contingentes.

Dubitatur ſecundo, vnde eſt, vt ita exigui, ac parui abſceſſus poris delegantur, vt videar vti verbo hyppocratico ſecundo prognoſt. 68.

Reſpondetur per ly, deleri, nos intelligere retrocedere; experientia ſiquidem nos docet quotidiana, interdum apparere, illico poſt paucas horas deleri cum ſympthomatum ſyndrome, eorumq. ui, atque languentis pernitie.

Quare exanthemata euaneſcant cauſę inueſtigantur.

Variæ ergo eſſe poſſunt deliteſcentiæ cauſæ, ſeu delerionis, ſeu retroceſſionis, quas Galenus loco citato philoſophatus methodo inuenit; etenim dum materia per abſceſſum foras detruditur, multa id efficient, primo humoris tenuitas, ſecundo partis laxitas, tertio ambientis caliditas, quarto medicamenti adhibiti poteſtas, quinto virium robur; tunc prout naturalis moles citò diſcutietur, euenit tamen ſępè oppoſitum tranſmeantibus humoribus ad eandem ſedem a qua ſunt commoti, aut in partem aliquam in profundo corporis poſitam, quapropter citò deleri, aut demonſtrat materiam eſſe ſtatim reſolutam, atq; euanuiſſe, noxiæ materiæ oſtendens reſolutionem, aut deterrimam affectionem: quæ omnia ſi vera ſunt, ſicut veriſſima principia,

Dubitatur, vtrum poſſint aliquando conferre,

ea-

eademque philosophandi ratione potuissent saluare Silenum?

Omnes scriptores asserunt esse bonas excretiones, ratione signi, malas ratione causæ; quam distinctionem Galenicam omnes admittunt, & Galenus hanc distinctionem docet 4. aphoris. 46. & iure optimo; etenim natura expellit quod potest ad partes cutaneas, apparente causa morbi, eiusque malignitate.

Vt autem deueniamus ad quæsitum principale Sileni, cuius hæc omnia docuimus, vtrum copiosi abscessus parui, exanthemata appellata, potuissent iuuare?

Respondetur ex parte potuisse prodesse, non tamen sanare hominem; ratio est, quoniam expulsio esse dicitur vaporosa per poros emanans, deterior autem, atque corpulenta humoris pars intus detrusa, atque latitans, potest sæuissima causare symptomatum genera, dummodo causa in dies deterior fiat, putredinemque intentiorem suscipiat: non ergo est sufficiens causa, morbique solutio, vaporosa illa, atque etiam alituosa expulsio cutanea; quamuis enim ex parte exoneret, ex toto tamen leuari sarcina prauorum humorum nullo modo potest.

Vtrum

Vtrum liceat pharmacare in apparitione exanthematum?

Controuersia Quinta.

Practica proponitur controuersia, consideratione digna, nam an sit sanguis mittendus, infra declarabitur; de pharmacia autem in controuersiam reuocatur, magnum enim in se conferunt periculum; pharmaci itaque exibendi occasio, eiusque disputatio apparentibus exanthematibus, non exigui momenti est.

Illud tamen silentio non est prætereundum, nam aliquando opera artis impediunt, vt sunt pharmaca; iis tamen legibus, & conditionibus donari debent, vt tanta sit copia, vt vix exiguæ cutis partes suffusæ non inspiciantur; secundo, vt ruborem contineant, signa porrò sinocarum febrium ex corrupto sanguine, interdum etiam excalefacto, eoque magis doctrina hæc est memoriæ mandanda, quò magis videmus exanthemata latiora more rosaginis, & tunc sistendum ab opere, ac proinde committenda sunt omnia operibus naturæ, ac denique non esse pharmacandum, quæ omnia sub duabus conclusionibus concludenda arbitror, ne discipulorum, ac legentium mentes præ difficultate confusæ permaneant.

Prima Conclusio.

Apparentibus exanthematibus latioribus, rubris, in maxima copia etiam vigente ardente febre, non est pharmacandum, tum quia supponitur ex parte criticum opus, tum quia supponitur peccatum in sanguine, tum quia retrocederet fortasse corruptus sanguis ad interna viscera nobilia, & per consequens multos vidimus propter inscitias medicorum pharmacatos periisse.

Secunda Conclusio.

Apparentibus exanthematibus exiguis, liuidis, vel nigricantibus, paucis, audacter pharmacādum, tum quia extremam supponunt corruptionem, tum quia supponunt alienos humores peccare a sanguine, tum quia demostrant multos, & copiosos humores, eosque corruptos existere in venis.

Controuersia sexta, an esset mittendus sanguis in Sileno, quaue ratione Hyppocrates siluerit?

Non est præsentis controuersiæ disputare de scopis missionis sanguinis, an ex vi, atque morbi magnitudine pendeat, an ex uitio succorum ex sanguine dependentium, qui differentes, ac dispares cau-

sant

ſant morborum effectus, apprime magnos, an ex plenitudine, quæ aut partis, aut totius ſit, aut præſentes cauſat affectus magnos, aut futuros; etenim hæc hiſtoria veriſſima cum ſit, iuxta omnium placita citra controuerſiam aliquam; arbitror propterea, quod ſi intuemur morborum magnitudines, & eſſentiam febris, eiuſque prauitatem, atque partium affectarum, id luculentiſſime demoſtrabit. Triplicem enim in via Galeni obſeruamus magnitudinem affectus, primo ratione lęſionis principis partis, ſecundo ratione ſympthomatum, tertio ratione cachochimiæ, quarto methodi 6. triplicem hanc habebat febris conditionem. Rurſus ſi percurramus eorum ſententiam, dicentium, eſſe indicans prauitas humorum a ſanguine dependentium, nemo ſanę mentis dicere poterit, non fuiſſe in hoc febre ſigna corrupti ſanguinis, vt papulę rubicundę ſine veſtigio abſceſſus, euidentiſſimam porro morbi nedum magnitudinem, immo a corrupto ſanguine dependentiam; quod ſi tertio loco tertiæ ſententiæ placitum examinaremus, quę maior excogitari poterit plectoria cum cachochimia coniuncta, quam illa, quam pręſentis hiſtoriæ verba ſingula narrant, ac teſtantur. Propterea, quod aderat morbi magnitudo, multiplex ſympthomatũ colluuies, maxima vitioſi, ac corrupti ſanguinis copia, quæ ſingula mittendum eſſe ſanguinem teſtabantur omnia, ad quæ demoſtranda, atque oſtendenda accedo.

Primo

Primo vehementia febris indicabat refrigerans, secundo vrinarum nigrities, insomnia, tertio deliria, quarto hypocondriorum inflammationes, quinto rubentes papulæ, vrinarum ardores, atque acrimoniæ, hæc & alia sympthomatum genera ignem consequentia indicabant, reuultiones, deriuationes atque euacuationes in sanguine, eoque magis cum essemus in inflammatione viscerum videlicet diafragmatis in delirio; denique permittente natura quod noxium erat ad cutim deponere, quiquid sub sanguine vitioso erat contemptum quod papularum rubedo sine abscessu luculentissime demõstraret; quę si uera sunt, vt verissima, venę vniuersaliores erant tundendæ sicut iccorariæ, cõmuniores venę cęphalicæ, venæ sedis, tandem frontis vt cerebro impacta putrida, corruptaque bilis foras esset detrudẽda, nec silentio pręteribo fuisse indicatum auxilium mittendum esse sanguinem a spatulis cum scarificatione, obseruantibus nobis naturæ motum ad cutim, quantumuis fuisset sympthomaticus, vt ex papularum, seu exanthematum rubore licuisset colligere; gratia ergo ventilandi febrilem, ac igneum calorem, gratia reuellendi a principibus, corde, cerebro, septo transuerso, gratia minorandi, vt leuata natura tanquam a sarcina validius expelleret, gratia denique lenitionis sympthomatum, nihil poterat indicari vtilius, quam missio sanguinis, neque poterant obstare cruditates; etenim illæ erant venosi

generis, & vt videar vti modernorum verbo, cruditates erant in venis, seu in secunda regione, non autem in ventriculo; qua vero ratione auxilium hoc siluerit Hyppocrates, arbitror, vt tanquam certum, & a nemine negatum fuisse Hyppocratem, aut breuitati studentem, narrationibus magis incumbentem quam auxiliis medicis examinandis, nihil prorsus meminisse, sed tacuisse omnia, quæcunque, apparatui morborum, aut symptomatum conferre potuissent, declarando.

Controuersia septima, an pharmacum conuenisset?

Vitiosorum, atque corruptorum humorum tanta videbatur colluuies, eorumque inordinatus motus ad viscera varia, vt cor, cerebrum, diafragma talis turgentium materierum impetus, vt nedum vnum, imo vero repetita expostulassent pharmaca, partim lenientia, partim eradicantia iuxta causas morbificas, affectas partes, sympthomatum colluuiem, simplicia esse potuissent, si tunc turgeret materia, syrupus rosſ. sol. persicus, reubarbarum, variæ confectiones, præsertim triphera persica, parum addendo sy. de 9. infus. rosſ. rub. quæ omnia vsurpantur frequentissime apud nostros partænopeos, aut fortasse diacatholicum diaprunis solutiuũ iuxta tempus anni, ætatẽ, vires, vitã ante actã, cęli conditionẽ.

Sed hic esset dubitandi locus, si perpetuo tempore videbatur aluus fluida, vndenam desumenda erat indicatio purgationis? Respondetur, excreta per aluum, semper fuisse symptomatica prauarum in corpore humano, ac venoso genere dispositionum, propterea existente febre validiori, quæ vires susciperet eundo maiores, prudentis medici munus erat, corpus pharmacare, pro cuius curatiuę methodi intelligentia, aliqua notanda arbitror, ne legentium mentes ab hac difficultate obruentur.

Fluxus cum febribus ea lege sunt donati, vt vel ambo augeantur, vel ambo remittantur, vel alterum perduret, ac perseueret, altero vero remisso, quarum sane inuestigatio causarum non est præsentis instituti operis; sed alibi, quando de morbis complicatis difficillima, ac altissima proponetur disputatio prolixior, quamuis in aliis operibus meis diffuse disputatum inueniatur, per capita tamen, in ea tamen tractatione de morbis complicatis, & locupletissimus, & fusissimus ero, a nemine, quem hucusq. aut legerim, aut audiuerim, tactis; quod sane opus in tres tomos (Deo auspice) erit diuisū, propterea ad rem atque prouintiam supra agressam iterum redeamus, ac nonnullas conclusiones proponamus.

De febribus cōplicatis cum fluxib. methodus notatur.

Prima Conclusio.

Existente febris prauitate cum alui fluore, corpus erat purgandum; probatur ex Galeno in hoc com-

mento, quoniam morbi, qui oriuntur ex cruditatibus, sunt prauissimi; ergo oportebit, quæ in venoso genere continentur, foras detrudere, alioquin maior sequeretur corruptela cum vitæ periculo.

Secunda Conclusio.

Medicamentum esse poterat forte debile, vt barbaris videar vti verbis, vt causam euacuaret cum aliquali corroboratione vt alias me fusissime docuisse legant, hæc de historia Sileni.

Historia tertia Herophontis.
Cap. XXXVI.

„ HErophontem febris acuta corripuit; primo
„ pauca, & cuiusmodi in tenesmo solent,
„ deiecit, deinde tenuia, biliosa, plura, non
„ dormiebat. Vrina nigra tenuis. Quinto die mane
„ obsurdescebat, omnia ingrauescebant, lien intume
„ scebat, præcordia contendebantur, pauca, & nigra
„ aluus excreuit, desipuit. Sesto delirabat, sub noctem
„ sudabat, frigebat, aluus excreuit, desipuit. Septimo
„ extremis membris frigebat, sitiebat, desipiebat, sub
„ noctem ad mentem rediit, obdormiuit. Octauo fe-
„ bricitabat, lien residebat, omnia intelligebat, doluit
„ ei inguen primum, secundum lien, deinde in vtra-
„ que tibia dolores demigrauerunt, noctem facilem

habuit,

habuit, vrinę erant melioris coloris, & residebant, in »
his pauca: die nono sudauit, iudicatus est, intermisit: »
die quinta rediit, & simul splen intumuit, febris »
acuta, surditas iterum. Post recidiuam tertio die re- »
sidebat lien, imminuebatur surditas, crura dole- »
bant, nocte sudauit, iudicatus est ad diē decimum- »
septimum, neque in recidiua delirauit. »

Liceat nobis eadem vti docendi via, quæ in cæteris narratis supra historiis, propterea primo perquiremus, quę sit diuini senis sentētia: secundo, in quas partes sit diuidenda; tandem & examinare verba, & controuersias, quæ emergunt ex sententiis disputare.

Intentio Hyppocr. est in hac tertia historia proponere casum inopinatę crisis, cuius causa intentionis ea esse dicitur; nam verba Galeni in commento testantur; etenim præter expectationem superstes fuit; nam primis diebus perire debebat propter sæuissima sympthomata, propter vrinas nigras, torrida excrementa, biliosa, immo vero prauis humoribus ad caput sublatis, sympthomata orta fuere læthalia, vt mirum fuerit qua ratione fuerit iudicatus die decimaseptima, immo vero die præcedēti nono intermiserit omnis febris, id quod imaginationem superat omnem; nisi ergo inopinata crisis præter omnem rationem, ac mæthodum id non præstitisset; porro in primis diebus ex necessitate sympthomatum eorumque vi succumbere morbo debuisset

Hipp. hic nota pulcra ac nouamtēti.

natura,

natura, cuius oppositum fuit obseruatum.

Diuiditur pręsens historia in varias partes; in prima proponit essentialia febris, eamque appellat acutam, concomitatam tribus sympthomatum generibus, videlicet deiectionibus, secundo vrinis, tertio vigiliis, & hæc vsque ad diem quintum exclusiue; in secunda parte criticantem naturam ostendit in uaria loca decumbente humore scilicet ad splenem, ad præcordia, tertio ad secessũ, quæ omnia die quinta euenere, & nos inopinatam appellauimus crisim.

In tertia parte uariorum sympthomatum proponit seriem, eorumque diminutionem, tandem morbi terminum.

In quarta parte de recidiua morbi, in qua noua fuere superorta sympthomatum genera, die quinta a recidiua noui morbi, dum habet, die quinta reuersus est.

Quantum ad primum febris fuit maligna, atque vndiq. praua; etenim fuit tentata natura a prauitate succorum, a quibus vt arbitror vlcus fuit genitum in intestinis; etenim nomine tenesmi oportet intelligere vulcus saltim incipiens more disenteriæ; tanta enim videbatur esse biliosorum succorum, ac torridorum copia, qui propria acrimonia, atque ascipitia donati ad intestina, irruentes tenesmum peperērunt, perseuerarunt autem tria sympthomatum genera vsque ad diem quartum, nam de aliis diebus non fuit facta mentio, scilicet de vigiliis, quæ porro

depen-

dependent a calore febrili, igneo, massam sanguinis adurente, atque adeo degenerante sanguinem in partes torridas, biliosas, sicut ex affectibus, constare legimus scilicet ex tenesmo, ortum ducente ab hoc humore acri, ac mordaci, a quo exalationes biliosæ ad cerebrum ascendentes vigilias concitarunt, inde opaca lotia ex eadem causa.

Quantum ad secundam partem appellauimus inopinatam crisim, tentante natura per tres regiones, causam malignam educere, præsertim ad duo loca, ad splenem, ad secessum; per secessum apparuerunt excrementa nigra, quę porro excretio praua est vtroque modo tam ratione signi, quam ratione causæ, & Hyppocrates male consulit languentium salutem, 4. aphoris. 23 dum dicebat, quicumque ex morbis acutis, vel vulneribus, aut extenuatis, nigra bilis, sicuti sanguis niger infra exierit, postridie pereút, & satis raro Hyppocrates diem videtur obitus assignare certam, sicuti præsentis aphorismi, vbi dicit, postridie pereunt, ergo ratione huius excretionis piceæ, mors erat expectanda quamprimum.

Verum Galenus in comm. videns difficultatem esse magnam, quare obitus non ita cito fuisset consecutus;

Respondet, quasi tacitæ obiectioni, immo euidentissimo dubio, quoniam excepit lien (inquit Gal.) partem prauorum humorum, subdit idem Galenus, a liene ad crura materiam fuisse depositá:

ergo

ergo tam crura, quam lien fuerunt receptacula excrementorum malignorum, quam veritatem confirmant Hyppocratica verba, dum habet Galenus, lien iterum fuit affectum, dolores fuerunt consecuti inguinum, deinde circa crura,) signa euidentissima depositionis materiæ ad infernas partes, propterea inopinatam crisim citra coctionem, citra virtutis robur cum naturæ grauamine, ac pondere, cum calore natiuo extinctioni proximo: & confirmatur magis; nam die septima apparuerunt sympthomata prauissima, sicut frigiditates extremorum, deliria: quę ergo crisis poterat expectari bona, tuta, perfecta, atque clara, nullo pręcedente coctionis signo, sed prauis semper concomitatis sympthomatibus? immo quod auget difficultatem, est, quoniam debebat criticare die septima, in termino primæ hebdomadæ; sed depositio materiæ die octaua apparuit, ergo infida erat censenda crisis; narrat tamen Hyppocrates in hac hystoria contrarium; etenim die nona iudicatus est morbus, & intermisit; vbi duo arbitror esse notanda, primo dixit, fuisse iudicatum morbum, quasi vero resolutum, atque terminatum; secundo cum intermissione, non autem cum remissione, vt alibi consuetus loqui legitur in casu Hermocratis; omnia videbantur esse remissa, non autem intermissa: signum euidentissimum iam iudicati, atque resoluti affectus cum intermissione.

Sed

Sed hic oritur dubium, quot esse possunt intermissionis causæ in morbis?

Intermissionis causæ febrib. quot esse possint.

Respondetur, nos non posse intermittentium proponere causas, nisi continuarum fiat mentio prius.

Primo a perpetua alicuius visceris dispositione; secundo ex viarum impeditarum exalatione; tertio ex qualitate succorum; quarto ex eorum putredine contingunt; quinto ex vaporib. perpetuo tempore ad cor exhalantibus, & tandem si aut artis, aut beneficio naturæ nihil foras detrudatur. Hæ, & aliæ esse possunt causæ, de quibus apud scriptores neotericos.

Intermissionis autem causæ euidentissimæ sunt, in quibus non oportet diu immorari. Vna tamen præstantissima censenda erit, quando totius humoris, ac mineræ fuerit facta foras expulsio vltimata; id autem fit aut beneficio naturæ, aut beneficio artis; neutrum autem fuit obseruatum in tali casu Herophontis, propterea ad controuersias me confero examinandas.

Controuersia prima, an crisis inopinata, & materierum depositiones fuerint causæ sufficientes ad saluandum hominem?

Vbi videtur, quod non, & probatur, non fuisse sufficientia signa.

Primo crisis debet habere, in via Galeni, multas conditiones, ex primo de diebus decretoriis, cap. 2. Primo, vt sit clara, secundo tuta, tertio fidelis, quarto perfecta, quinto sine sympthomatibus; in hac vero defuerunt omnia, ergo. Consequentia ex narratis, & ex declarandis infra.

Secundo, quę poterat expectari crisis, virtute existente languida? etenim die septima extrema frigebant; ergo non poterat natura critice aliquo modo operari.

Tertio vera crisis non est per abscessum ex primo aphoris. commen. 20. Gal. in tali vero languente obseruati sunt bubones, & dolores inguinum; quæ sanè critica operandi ratio non supponit naturæ robur, sed imbecillitatem, expellente natura in sfera actiuitatis, seu corporis, causam morbi, foras autem nihil detrudat; ex quibus argumentis, & similibus licet colligere, in regulis artis nõ potuisse hominem euadere a morte, & hác criticam expurgandi viam, non potuisse esse salubrem.

Accedit quarto materiæ impetus ad partem animalem; etenim duo sympthomata demonstrabant euidentissima; primo surditates, quæ succedebant alui fluoribus biliosis; secundo deliria, quæ sane sympthomata testantur raptum materiæ ad partem superiorem, principem animalem.

Quinto abscessus supponit, morbum non esse peracutum; secundo supponit materiam, quæ neque vinci, neque expelli poterat. Tertio supponit materiam crassam, viscidam, pituitosam, aut melancolicam; secus philosophandum de materia calida, biliosa, subtili, quę extra corpus defertur, atque adeo difficile est posse credere in febre adeo acuta, in sympthomatibus adeo sæuis, ac læthalibus, peccante succo bilioso torrido, die nona hominem euasisse ab omni malo.

Prima opinio est Vallesii viri doctissimi, qui cum vidisset fuisse iudicatum hominem die nona, recurrit ad concoctiones, quæ fuere obseruatæ die octaua, in vrinis; dixit enim, vrinæ fuerunt melioris coloris cum subsidentia, propterea euasisse dicit. Videbat autem Vallesius se non satisfacere quæsito, ideo dixit, varios abscessus saluasse hominem.

Sed opinio Vallesii non est recipienda. *Errauit Valles.*

Primo, quantum spectat ad concoctiones, quæ coctio poterat esse salubris, dum natura languida obseruaretur, primo in excretionibus biliosis, quæ opus naturæ facili negotio diuerterent; ergo distra-

cta non poterat concoquere, sicut euidentissima experientia videmus vrinas dealbari, atque attenuari, quando, scilicet humores aliò tendunt, scilicet per secessum.

Secundo, quomodo erat credendum coctioni, dum videremus naturam esse distractam; etenim totus calor erat ad cerebrum, & ad aures, inde surditates, atque deliria apparuerunt, signa quippe euidentissima distractæ naturæ, & caloris concoquentis. Quòd si recurrat ad abscessus, illi non poterant liberare hominem, nisi sensibili euacuatione præcedenti, aut saltim morbus ita acutus in cronicum degenerasset, neque ita citó fuisset in salutem morbus terminatus die decima septima; quare opinio Vallesii non videtur satisfacere quæsito.

Secunda opinio est Mercurialis, asserentis eum euasisse propter ætatem, cuius ratione vires videbantur esse robustæ; morbus siquidem videbatur esse grauis, eoque magis, cum laborauerit in Autumno, quo tempore lienis morbi vigere solent.

Errauit Mercur. Sed hæc opinio est imaginaria; etenim ætatis non meminit Hyppocrates sicut in Sileni historia legitur, qui annos habebat viginti, & etiam si conce datur gratis Mercuriali, fuisse languẽtem iuuenem, quorsum erat expectanda salus inopinata in morbo ita pernitioso cum variis sæuis, ac pernitiosis sympthomatibus?

Miror autem virum adeo præclarissimum non exami-

examinaſſe ſympthomata cõcomitantia morbum, ſed ad ætatem confugiſſe tanquam ad rem, & ſibi, & omnibus ignotã, cum de ętate nulla fuerit facta mentio ab Hyppocrate.

Tertia opinio eſt Pręceptoris communis Galeni, qui huic quæſito ſic reſpondet (quare in tali morbo ſuperſtes fuit, quem moriturum ſuſpicaremur?

Reſpondet, quoniam lien excepit partem malorum humorum, propterea in verbis Galeni liceret philoſophari diutius, vtrum prauorum humorum receptaculum lien eſſet ſufficiens ægri ſalus.

Mea tamen eſt opinio, quam nemo ante nos animaduertit, omnia habuiſſe originem ab humore melancolico, neque tantam fuiſſe pernitiem in eſsentia morbi; ſed quod ſedes firma, ac putredinis minera eſset in liene fundata, a quo eleuati vapores melancolici varia pepererunt ſympthomatum genera: primo apparuerunt deiectiones bilioſę cum teneſmo, quarum ſemel ſolum fuit facta mentio, quaſi vero illæ fuerint irritamenta excretionum aliarum, deinde Hyppocrates ſemper lienis fecit mentionem: nam dicit, lien die quinta intumuit, deinde dixit, aluus excreuit pauca, & nigra, ſubdit, die octaua, lien diminutus; atque in recidiua morbi iterum redit ad lienem: nam dicit, lien intumuit: tertia die reſidebat lien, quaſi ab Hyppocrate quinquies fuerit facta mentio lienis: ergo tota origo morbi erat innixa lieni; in qua re tanquam in *Opin. propria omnium veriſſima.*

re altissima, ac difficillima, proprio marte inuenta, liceat nobis philosophari: nam si apparuerunt surditates, eę dependent non, nisi ex vapore acri, melancolico: si apparunt in tali ægritudine lotia nigra, id etiam demostrabant deliria, similiter ab humore melancolico dependentia; frigere circa partes extremas, id poterat adscribi, & pituitæ, & melancoliæ.

Cõfirmatio sententiæ propriæ eiusdemq. demõstratio

Propterea hac doctrina, ac principiis veris stabilitis, dicam, quid sentiam circa hoc problema, videlicet quare fuerit superstes languens hic. Quæ sane controuersia inter Galenum, & modernos, non parum controuertitur. Parcant tamen cineres præceptoris primi Galeni, vbi commento hoc habet, prętet rationem omnem fuisse languentem superstitē) immo vero audebo dicere, morbum fuisse semper vndique tutum: primo propter partem affectam, scilicet splenem: secundo ratione sympthomatum, quæ ad humorem melancolicum referenda sunt omnia & deliria, & excreta nigra, extremorum refrigerationes, desipientię, surditates, vt inde videar coniicere fuisse languentem satis melancolicum, cuius materia peccabat in toto, sedem tamen habebat in liene; vapores tamen videbantur varios producere effectus, atque pro confirmatione veritatis Hyppocraticæ, quam nemo ante nos intellexit, peto, quo modo sine crisi potuit homo liberari, atque ridiculum est arbitrari dolores, aut tibiarum, aut tumores inguinum potuisse hominem a morte liberare

berare, præſertim cum ſupponeret Galenus malum fuiſse prauum, ſed omne morbi genus dependebat a melancolia, quam tentauit natura per ſeceſsum, per vrinas, per inguina, per tibias eandem purgare materiam, concitando dolores, aut tumores gignendo: vapores ergo eſſe poterant, qui eleuati a venoſo genere melancolico, aut a liene, melancolica omnia, tam in excretis, quàm in actionibus læſis peperere ſympthomata, ex quibus omnibus liceat contra omnes colligere, morbum fuiſse vndique tutum, quem arbitrabantur ſcriptores eſſe prauiſſimum, vana imaginati de coctionibus, atque de abſceſſibus: quæ porrò nullo modo eſſe poterant cauſæ efficaciſſimæ ſalutis, morbo ſic citò terminato citra euacuationis genus aliquod. Vereor tamen ego ne fuerit paſſio hypocondriaca coniuncta, quam ſigna omnia teſtantur, ſcilicet deliria, & illa quidem arbitror fuiſse melancolica. Pręterea vrinarum nigrities, frequentiſſimæ in liene lęſiones, neque in febribus huius languentis legimus ſympthomata praua, ſed adæquata humori melancolico affecto liene, denique intermiſit febris die nona: quód pręter rationem omnem accidiſse ſubſtineo, ſi ſympthomata fuiſſent læthalia: porrò in primis morbi diebus morbo ſuccubuiſſet natura, quę ſanè ſi ſcriptores fuiſſent bene contemplati in imaginationes recenſitas paulo ſupra non fuiſsent lapſi, hęc de controuerſia prima.

Morbus fuit vndique tutus Herofontis.

Con-

Controuersia Secunda, Vtrum post recidiuam fuerit affectus vnus, atque idem cum priori, an differens.

Quæstioni huic breuiter respondeo, fuisse affectum vnum genere, specie, & numero cum priori: quam doctrinam liceat declarare, ex sympthomatibus comprobando: etenim sympthomata, quę apparuerunt in primo morbo, fuerunt in secundo, tumor in liene sicut in priori, surditates, dolores circa crura, sicut in priori morbo: Tandem inditia sunt consecuta: de identitate numerica non possum imaginari languentem hunc fuisse prorsus immunem a febre die nona, pręcedentibus vrinis melioris coloris, & sudore consequente: nam si apparuit vrina melioris coloris, signum erat magnam partem melancolię fuisse expurgatam: nam non dixit Hyppocrates vrinę erant concoctæ cum bono sedimento, sed solummodo dixit vrinas habuisse meliorem colorem: ergo signum erat euidentissimum expurgatę melancolię, a qua tanquam a fonte primo, & radice, pendebant omnia; neque sudor consequens poterat liberare hominem ab omni febre, propterea quod peccantes succi erant crassi, lenti, viscidi, qui difficulter poterant discuti; quibus omnibus accedunt dolores tibiarum, inguinum tumores, ex quibus omnib. liceat colligere, & audebo dicere,

cere, febrem non fuisse intermissam die nona, sed rationabilius erit credere fuisse remissam, sicut legimus apud Hyppocratem in casu Hermocratis, vbi habet, omnia fuisse remissa die vndecima; nam vera intermissio supponit carentiam febris; ad quod confirmandum recidiua demonstrat; nam die tertia post recidiuam eadem redierunt sympthomata, vt textus Hyppocratis luculentissime ostendit.

Quo loci esset disputandi tempus, vtrum sit facienda in recidiua vna dierum computatio, an fortasse duplex? & circa controuersiam hanc multi scriptores multa docent.

Conciliator in differentia 109. 110. Vallesius decimo controuers. cap. quinto, quibus in locis varia adducuntur Hyppocratis, & Galeni loca a scriptoribus. Nos autem dicimus controuersiam hanc facili negotio esse dirimendam, vna sola adhibita distinctione, videlicet, aut sympthomata sunt eadem, aut differentia; si sunt eadem, morbus erit idem numericus, genericus, specificus: præterea si affligendi modi sunt similes, & tandem si partes affectæ sunt eædem, tunc inferre oportet computandos esse dies a prima radice, & afflictione morbi prioris; aliter dicendum si morbus secundus differat a priori sympthomatum qualitate, & affligendi modo.

Miror equidem scriptores multos viros doctissimos in controuersiam reuocare, an sit deterior affectus secundus, vel prior; porrò in re hac non est *Practicæ quæst. decisio.*

diu immorandum, ſcientes, affectum ſecundum maiorem vim habere in actione phiſica contra naturam, illamque cum reperiat imbecilliorem, clare colligitur, affectum ſecundum eſſe priori deteriorem, eoque magis, ſi natura laborauerit in ſuis operibus criticando, aut fortaſſe ars fatigauerit hominem ſecando venam, aut repetitione pharmacorum, procul dubio timendus eſt magis ſecundus euentus, quam primus, propter rationes aſſignatas, quæ omnia Hyppocrates 2. aphor. 12. docuit, reliquias humorum ſuperuacaneorum cauſare recidiuantes homines; de nouo ſiquidem putreſcunt reliquię humorum, quæ putreſcentes, ac nouum adipiſcentes calorē, noua faciunt, ac degenerant ſymptomatum genera, aut prioribus ſimillima, aut ſęuiora; quam doctrinam inſinuauit Galenus, ſecundo aphoriſmorum commen. 12.

Controuerſia Tertia ſub tempore intermiſſionis febris Heroſontis corpus erat ſalubre, an inſalubre?

Si controuerſia reperitur circa actum practicum, conſideratione digna eſt præſens, propterea quod, & medendi opus conſurgit ambiguum, non ſine magno languentium detrimento, putantes, morbum eſſe iam reſolutum, atque abolitum, cauſam morbi iam euacuatam omnem, atque ex hac praua

Practicæ quæſt. deciſio.

imaginatione languentes infinitos pereuntes vidimus, & quamuis controuersia hæc superius sit tuta, postulat tamen pertractandi ratio, vt exquisitius, ac luculentius de ea agamus. Propterea ad rem pertractandam circa particularem obseruationem deuenientes, dubitatur, an corpus Herofontis esset salubre, an insalubre, & sub quo statu reperiretur idem corpus?

Ex vna parte esset dicendum fuisse corpus neutralitatis, quandoquidem ex Hyppocratis verbis habemus, febrem fuisse iudicatam, & intermissam die nona, die autem quinta, de nouo rediisse, quasi vero recidiuauerit languens; ergo causam habebat antecedentem morbosam: vt autem intelligatur hæc doctrina, liceat argumentari argumento quartanarũ; etenim in diebus intermisshonis neutra sunt corpora, causam tamen habent internam moueri futuram.

Nos autem asserimus contra Mercurialem, & Modernos omnes, corpus non fuisse neutrum, sed semper fuisse insalubre, ad quam opinionem confirmandam multa me ducunt argumenta, & primo Hyppocrates in tex. habet, octaua die vrinas apparuisse melioris coloris) ergo non poterant hominem prorsus a febre liberare; nam vrinæ debuissent apparere cum sedimento cum sedimine albo, leni, ac æquali, quod non dixit Hyppocrates, sed per vrinas melioris coloris intellexit, quoniam non erant *Demonstratio cõtra Merc.*

nigra lotia sicut præcedentib. diebus apparuerant, quę sane lotia non poterant hominem a morbo liberare.

Secundo arbitror, per intermissionem Hyppocratem intellexisse remissionem sicut in casu Hermocratis clarissimè legimus, vbi habet, die vndecima, omnia videbantur remissa, primo epid. comm. 3. text. 6. in histo. Hermocratis, fortasse talis fuit remissio in Herofontis febre, quæ intermissionem sapere videbatur; quibus omnibus accedit eiusdem morbi repetitio cum eiusdē sympthomatibus, cum tumore lienis, cum surditate, cum tibiarum dolore, & tandem fuit iudicatus die decimaseptima; quapropter ex numeratis sympthomatibus difficile est credere fuisse veram febris intermissionem, sed malo dicere fuisse remissionem: hæc de controuersiis, & Historia Herofontis.

Mathodus curatiua Herofontis cum auxilijs. Cap. XXXVII.

EXposcebat Mæthodus, secandam esse venam Herofonti, sumpta indicatione ab essentia febris, cum esset appellata ab Hyppocrate acuta, sumpta indicatione ab excretis biliosis, ab vrinis nigris, a vigiliis, quæ omnia indicabant mittendum esse sanguinem in primis morbi diebus; deseto dolores tibiarum, inguinum tumores, denique

corporis habitus ferè totus humore melancolico erat scatens, quæ repetitas missiones sanguinis exposcebant omnia, progrediēte deinde morbo vlterius, atque die quinta, cū sympthomata omnia inualescerent, corpus rationabiliter erat purgandum, eoque magis, cum materia haberet raptum ad cerebrum, vt surditas ostendebat die sexta, qua die apparuit delirium; simplicia ergo esse poterant indicata pro corpore purgando, vt sunt sy. viol. sy. sol. persicus, aut manna corporis calabriæ, basi tamen medicamenti existente reubarbaro, iuxta quantitatem opportunam conuenientem, addendo parum diaphe-niconis, pro flatus melancolici discussione, quem arbitror multum viguisse in hoc languente; neque tentanda erant alia auxiliorum genera, tum propter vrinas rectificatas die octaua, tum etiam quia natura tentauit humorum expulsionem ad varia loca, ad tibias, ad inguina, atque cum humor esset bipartitus, erat speranda salus; illud tamen arbitror esse magis indicatum auxilium, quam cetera ex parte humori melancolico vacare, saltim contemperando, ac leniendo, syrupis vtendo summe frigidis, vt est sy. de cicor. viol. & alii, semper victu humectante vtens, extrahendo sanguinem a vena saluatellæ sinistræ manus, aut ex venis sedis, supponendo, vt in historia satis, superque declarata, totam morbi originem ex liene pendere, propterea quod quinquies nominat Hyppocrates lien, & vt mea fert opinio noua

Hyppocondriato affectu fuit correptus languens.

a nemine inuenta, aut excogitata, quam demostratiuis supra comprobaui signis, ac rationibus, censeo cum hac febre fuisse coniunctam passionem hyppocondriacam, melancolicam quantumuis duorum signorũ Hypp. non meminerit, scilicet metus, & mestitiæ, quæ fortasse dereliquit breuitati studẽs.

Quod autem hoc sit verum, præter supra declarata, vrinis apparentibus melioris coloris, i. iam humore melancolico finito seu absoluto expurgari, conualuit homo, atque intermisit febris; errauit, vt reor, deinde vt propterea idẽ melancolicus redierit affectus, cũ sympthomatib. iisdẽ supra narratis, ac recensitis, vt propterea recidiuauerit, atque adeò etiam præsente febre; si ego obseruassem hominem, mea fuisset opinio, balneandum esse hominem balneo aquæ dulcis, ex decreto Galen. 3. de locis affect. cap. 7. existente in homine tanta siccitate, & vigente hoc humore melancolico, cuius sedes firma, ac stabilis semper legitur, atque obseruatur lien; quam doctrinam tradidit Galenus loco citato fusissime, præsentis tamen instituti non est prolixa vti disputatione, de hac passione hyppocondriaca, sed sicut signa sunt coniecturalia, ita coniecturæ innitentes probabilia dicimus, quæ nemo ante nos, aut aliquis ex interpratibus fuit immaginatus.

Ars adimpleuit quod poterat natura prestare.

Sed id quod reddit me admiratione plenum, est, quoniam id quod poterat præstare ars, fecit natura; nam tibia sinistra iuxta catisim eiusdem partis, scilicet

scilicet lienis, primo doluit, deinde cæteræ partes; signum ergo euidentissimum depositionis materiæ alienæ ad loca sibi proxima, immo excretiones erant adeo euidentes humoris melancolici, vt aluus excreuerit nigra, atque pauca: deliria nolo silentio pertransire, quàm multa alia auxiliorum genera, sicut serum lactis decoctione mirabulanarum, alterata iura, addendo parum radicis cinę, aut decoctum cinæ ex floribus cordialibus, & sena exhibere, quæ omnia humorem melancolicum euacuarent parum, & sæpè, aut illum humectarent; desero syruporum vsum, quorum non est facienda mentio, propterea quòd morbus sub paucis diebus fuit terminatus, & quoniam dolores videbantur infestare hominem, lenientia propterea arbitror applicasse auxilia Hyppocratem, vel debuisse applicare, quæ siluit breuitati studens, eoque magis, quoniam dolores originem trahebant ex materiebus adustis, quæ cum calorem in se continerent, dolores poterant concitari vehementes, sumpto argumento a partibus lęsis, sicuti erant tibia, atque inguina lienis, regione iam exonerata a crassis melancolicis, atque adustis materiebus.

Sed hic oritur magna difficultas, vtrum corpus post recidiuam esset de nouo pharmacandum? & videtur affirmandum, esse de nouo pharmacandum: nam rediit acuta febris, lienis affectus, surditates rediere omnes cum iisdem doloribus; ergo erat

Curiosa difficultas practica pponitur de remedijs recidiuati corporis.

erat ſupponendum nouam fuiſse ſuperortam morbi cauſam, a qua noua ſympthomatum colluuies originem traxerat, ſimillima prioribus.

Secundo ea eſt natura recidiuarum, vt ſupponat reliquias ex decreto Hyppocratis, ſecundo aphoriſ. quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere conſueuerunt, quas reliquias cum natura non poſset ſuperare, ſequitur indicatum eſſe auxilium euacuans, & nouas materias educens.

Reſpondetur huic difficultati, non fuiſse indicationem aliquam pharmacandi hominem, & rationes ſunt euidentiſſimæ: etenim cum peccaret melancolicus ſuccus, atque adeo ſympthomata eſsent melancolica, cui dubium, quod cum eſſet materia pigra, quæ moueretur, non poterat teſtari, niſi vapores, ſicut ſurditates: quod autem hoc ſit verum, hic non fuit facta mentio delirii, neque ſympthomatis vitalis partis, niſi ſolummodo febris acutæ: ſed mea eſt opinio fortaſſe fuiſse iuuenem, cuius hepar erat ſummè calidum, cor calidius, denique operationes cum eſsent omnes vergentes ad calidum, viſum fuit Hyppocrati febrem fuiſse acutam, quoad tactum; qui vtinam cognouiſset pulſum, quem ignorauit, aut paruifecit, vt videar vti verbis Galenicis in libris de criſibus.) porrò palam pronuntiaſset febrem fuiſse pigram ratione peccantis humoris: quare concludendum redeuntibus ſympthomatibus melancolicis, non eſse ſumendam indicationem a vi ſympho-

pthomatum, eorumque natura, sed vacuandum erat eum remediis flatum discutientibus; essent autem confectiones aliquæ, quæ discuterent flatum, non imprimendo calorem; mea tamen esset opinio, sicuti arbitror fecisse Hyppocratem, qui breuitati studuit methodicæ, enemata fuisse laudata ex iure capitis arietis, vt praxis Partenopęa præclarissima, ac methodica cum fælicissimo euentu, docuit semper, addendo diaphinicon, diacatholicon, aut hieram, quæ flatum melancolicum discuterent, non pertranseundo confectionem de dianiso, de diacinamomo, & alias quam plurimas, quæ non multum calefacerent & flatum discuterent. Ad argumenta supra adducta Respondetur, quamuis de nouo fuerint superorta sympthomata, non tamen acutiem præseferebant, sed magnam pigritiam, atque lentorem, atque flatuum copiam, quæ omnia non erant indicata, esse euacuanda vsu pharmacorum, sed enematum trahentium ad infernam sedem, quicquid poterat peccare in visceribus supernis; ad quod confirmandum adducor argumento, quoniam sudore fuerunt terminata sympthomata, scientes Hyppocratem humorem melancolicum appellasse aquam; neque argumentum quicquam concludit, postquam reliquiæ humorum a natura concoquuntur, & per consequens calor concoquens est ille, qui flatum discuteret; & humores superaret; in corpore ergo melancolico, abundante, ad

vigente ſucco, ſemper erit augendus calor ſuperans, ac concoquens vſu bonorum alimentorum; in contemplabili ergo diẽ, ſcilicet die decimaſeptima, quę dies & terminandi morbos, & indicandi vim habet, mea tamen eſt opinio ceſſaſſe febrem, lienis tamen affectum perſeueraſſe, non tamen poſſum mente concipere ſympthomata adeò melăcolica, quę à craſſo ſucco pendebant omnia, potuiſſe ſic breuiter terminari; ſed vereor ne vlterius progrederetur affectus; oculatiſſimus tamen Medicus diuinus ſenex inſpiciens febrem ſolius meminit, atque recordatus, dixit die decimaſeptima morbum fuiſſe terminatum: maiora dicerem, atque docerem, niſi vtiliora docenda me expectarent; propterea confero me ad Hiſtorias enixarum declarandas, ſcilicet quartam in ordine ex numeratis.

Hiſtoria quarta Philini vxoris.
Cap. XXXVIII.

„ PHilini vxorem in Thaxo, quæ filiam pepe-
„ rerat purgatam ex preſcripto naturæ, & cæ-
„ tera rectè habentem, decimo & quarto à
„ partu die, ignis inuaſit cum rigore; huic cor primo
„ dolebat, & præcordia ad partem dexteram mulie-
„ brium dolores, purgatio deſita eſt; ſubito autem
„ hæc quidem facta leuiora ſunt; cæterum colli, &

Ll lum-

lumborum dolores permanebant; nulli erant ſomni, extremitates frigidę, ſiticuloſa erat, venter ambuſtus eſt, pauca excieuit vrina, tenuis a prima die decolor, ſexta die noctu multum delirauit, deinde reſipuit, ſeptimo erat ſitibunda, aluus bilioſa affatim multa, octauo riguit febris acuta, conuulſiones dolorificæ, multum delirauit, ſurrexit, balano ſuppoſito multa bili ſuffuſa deiecit, non dormiebat, nono conuulſiones, decimo aliquo modo mente conſtabat, vndecimo dormiuit, omnia meminit, ſed ſtatim in delirium recidit, vrinam vero reddebat vna cum conuulſionibus affatim multam, raro craſſam, albam, qualis eſt, quæ in matellis diu ſtetit cum agitatur, non ſubſidebat, color, & craſſitudo aſſimilis iumentorum vrinis, hæc illius erat vrina, quam ego vidi.

Ad diem decimumquartum totum corpus ei dolebat, multum loquebatur, aliquantisper mente conſtitit, breui rurſus deſipuit; ad diem decimumſeptimum obmuteſcebat, vigeſimo animam egit. Longa nimis, ac prolixa proponeretur de enixis diſputandi occaſio, niſi in opere alio, typis excudendo quam primum, lectores, ac ſcriptores me locupletiorem legerent. Propterea in hac hiſtoria quarta, quæ eſt finis primæ huius partis, tangendo de enixis capita prima; & illa pauca breuiori ſtilo, ſed narratis nihil inferior prælſtringam omnia.

Quare in hac historia quarta primo perquiram Hyppocratis mentem, secundo diuidam sententiam in partes, tertio difficultates proponam, quarto medendi viam, atque canones proponam.

Quoad primum, intentio diuini senis est docere in enixis, mala omnia ex vitiato sanguine vterino dependere, atque exemplo doloris vteri inflammati vtitur.

Diuiditur præsens historia in partes multas. In prima proponit ac docet naturæ opera, dum purgatam dixit esse secundum naturæ præscriptum. In secunda parte opera morborum, qui morbi varias videbantur obsidere partes; etenim quoad primam partem facto partu febris consecuta fuit acuta cum rigore iam transacta die decimaquarta, ex quibus verbis erat supponendum, partum fuisse naturalem, postquam post diem decimumquartum, ex præscripto naturæ, cæpit corripi igne; signum euidentissimum, hoc sympthoma non esse adscribendum partui, quoniam fuit legitimus secundum leges naturæ, sed hoc sympthoma fuit deinde superortum (cordis dolor) id est, os ventriculi ab aliquo humore mordicante, ac vellicante afficiebatur, scientes os ventriculi appellari cor apud antiquos, inde cardialgos, & cardialgia, vt 5. aphoris. Hyppocrates, & Galenus.

Muliebrium dolores fuere consecuti) ex quibus verbis vereor ne fuerit contractum vulcus ab ipso

vtero, seu erisipelas; in internis vero partibus naturalibus fortasse abscessus aliquis; siquidem rigores, cordis conquæstus, & alia id genus sympthomatum genera, demostrare videntur, vterum fuisse inflammatione affectum, vterinam tamen inflammationem fuisse, nemo poterit dubitare.

Vrina erat tenuis sine colore) tenuitas vrinarum habet varias causas, in quibus non est diu immorandũ, præsertim cum locupletissimi legantur scriptores vt Gal. 2. prognost. Nicolus, Actuarius, & vniuersa modernorum schola, videlicet obstructiones viarum, potum superfluum, caloris imbecillitatem impotentis incrassare materias, materiæ prauitatem, bilis recessum in alia loca nobiliora, vt cerebrum, denique viscerum inflammationes ipsum præstant.

Vrinarum ergo tenuitates colore orbatas arbitror habuisse originem ab vtero inflammato, sed magis a prauitate materiæ corrumpente humores, atque totam sanguinariam massam, ex qua caloris imbecillitas ac magna virium iactura penderet: existente vero debili calore, procul dubio sequitur, vrinas consequi tenues, atque colore expertes, quæ sane debuissent coloratæ, atque alteratæ apparere, immo verò aliquo genere humoris biliosi saturatæ apparuere; cuius contrarium fuit etiam obseruatum, cum essent expertes substantia, seu sedimento, expertes accidentali qualitate calorifica; ex

qui-

quibus clare constat errasse modernos, qui aut ad phlogosim confugientes, vt Mercuarialis, aut ad veram hæpatis inflammationem, vt Vallesius; quæ omnia falsa esse, a modernis imaginata, atque vteri sympthomata fuisse demostrabant singula; quæcunque ergo sympthomatum genera apparuere in hac historia, ea omnia sunt adscribenda vtero, a quo, & oriri, & foueri eadem sympthomata, asserimus; aut dicendum, vrinas fuisse tenues, propter duas rationes, & causas, aut ratione delirii diei sequentis; nam die sexta, quæ erat consequens, multum delirauit, habentibus humoribus biliosis raptum ad cerebrum; aut forte, quoniam aluus biliosa multum deiecit; quod autem hoc sit verum, adhibito balano excreuit biliosa multa; ergo non poterat vrina alterari, sed tenuis permanebat.

Octauo die riguit,

De rigore enixarum multa essent a me docenda, nisi varias causas rigor haberet; etenim generatio lactis, eiusdemque depositio ad musculosas partes, facili negotio supponit, materias posse causare rigores, & motus illos rigorificos, quos mauis appellare refrigerationes partium externarum, & horripilationes, quàm rigores, propterea licet in essentia rerum magis immorari, quam in verbis; de dolorosis autem conuulsionibus alibi disputabitur.

Nona

Nona die apparuerunt conuulsiones.

Conuulsiones ortum ducebant ex inflammato vtero; etenim consensu vteri cum cerebro arbitror partes neruosas fuisse exiccatas ex igneo, ac flammeo partium genitalium calore, adurente massam sanguinariam in vtero, nec esse poterat conuulsio a repletione; etenim erat purgata ex præscripto naturæ mulier; quare meminit conuulsionum, quasi voluisset innuere, violentiam febris, eiusque acutiem fuisse in causa conuulsionum; nam aliquando fuerunt dolorosæ, aliquando vero non; de dolorosis autem conuulsionibus multa a me essent philosophanda in via Galenica, & in via Arabum. Nos autem breuitati & methodicę doctrinæ innixi, dicamus, quæ ab aliis fuere derelicta, & silentio præterita, sicut a Vallesio, Mercuriali & aliis, qui de dolorosis conuulsionibus nihil ad rem proponentes, imaginaria proponunt.

Nos vero talem conuulsionem fuisse speciem laxitudinis dicimus, loquor autem de prima dolorosa: ad quod confirmandum ea ducor ratione demonstrante; nam die octaua riguit, deinde sunt consecutæ dolorosę conuulsiones; ergo conuulsiones illæ veræ non fuerunt, sed partium animalium motricum laxitudines, & confirmatur magis; nam si riguit die octaua, ergo fuit materia extrauesata ad habitum corporis, deposito succo ad carnes; qua

pro-

propter arefactiua fuit causata laxitudo, vt barbaro videar vti verbo, neque fuit tensiua, vulcerosa, aut phlegmonosa, de quibus Galenus legitur abundantissimus libro de plenitudine, & Turisanus tertio artis medic. super textum duodecimum.

De conuulsione dolorosa, & citra dolorem proponitur dubium.

Meminit ergo primæ conuulsionis Hyppocrates cum dolore, secundæ vero doloris non meminit, vt propterea posset aliquis dubitare, vndenam diuersitas huius simpthomatis dependeat, vt primo doloris fiat mentio die octaua, die autem nona doloris non meminerit, sed tantũmodo soliu conuulsionis mentionem fecerit?

Difficultatem hanc nemo è scriptoribus contemplatur, sed Vallesius huic quæsito respondens, dicit, habuisse originem ex inflammatione cerebri; nam cum tanta menus alienatione, conuulsiones demostrabant cerebrum esse male affectũ, atque cerebri læsionem esse magnam, cum neruis.

Lapsus Vallesij.

Cuius sententia repugnat Hyppocrati, & veritati, & quæsito non respondet; nam si conuulsio esset adscribenda cerebro inflammato, procul dubio non apparuissent conuulsiones cum dolore; dixit autem conuulsiones fuisse dolorosas, ego languens percipiebat dolorem, ergo cerebrum non erat inflammatum sicut Hyppocrates. 2. aphoris. 6. qui dolorem habent in aliqua parte, & dolorem non sentiunt, mens ægrotat.

Mercurialis, qui postremus omnium commen-

taria

taria edidit, contemplatus difficultatem hanc, dixit, vapores fuisse in causa, qui partim ad cerebrum elati, partim ad totius corporis partes neruosas transmissi, rigores cum conuulsione causabant; qua propter inquit Mercurialis, non quia vterus nerueus cum esset inflammatus, in principium eius, atque in consensum trahebat, quoniam eadem ratione deberent trahi in consensum ventriculus, pancreas, peritoneum, intestina, septum transuersum, sed propter coniunctionem venarum, atque arteriarum, quæ repletæ cum essent, faciebant febres insignes, & numeratas conuulsiones cum dolore, seu dolorosas, vt docet Gal. 6. epid. comment. primo, tex. 2.

Et hæc Mercurialis sententia magis mihi arridet, cum sit innixa Galeno, eiusque principiis.

Decimo mente costitit.

Fortasse quia erant resoluti vapores, petentes cerebrum, cum sympthomatum nulla tunc fieret a vaporibus turbatio.

Vndecimo iterum delirauit.

Dies vndecima est dies contemplabilis, 2. aph. 24. Hyppocrates, qua die sympthomata, quæ apparuerunt, hæc fuerunt, delirii repetitio secunda, in eadem die excretiones vrinarum cum conuulsioni-

bus, vrinæ erant crassæ, albæ, more vrinarum iumentorum.

Repetitio delirii supponit iam causam firmari prauam, semper tamen inflammato vtero consentiente cum ipso transmissis biliosis vaporibus, ex quibus verbis arbitror, iam euasisse mulierem phreniticam confirmatam; ad quam doctrinam confirmandam duobus adducor signis, primum est conuulsiones, quas non dicit Hyppocrates esse dolorosas, sed simpliciter illas nominat; ergo inflammato cerebro existente, eoque exicato, atque arefacto principio neruorum, signum euidentissimum fuit conuulsio. Accedit secundum signum cruditates in vrinis, signum quippe euidentissimum materiæ ne dum raptæ, immo vero in eodem cerebro confirmatæ.

Vrinam reddidit cum conuulsionibus affatim multam, crassam, albam, quasi cum crassitie iumentorum.

Quæ sane verba, vt videntur demostrare, Mercurialis recurrit ad problema Aristotelis octaua sect. problem. 9. vbi quærit quare in extrema mictione vrinæ corpora rigent, atque horrent?

Respondet, quoniam aer frigidus ingreditur, videbat Mercurialis hanc problematis responsionem esse malam, atque a re petita satis alienam, recurrit

currit ad vteri inflammationem, quæ cum tangeret vesicam, quasi vacua conuellebatur.

Sed miror Mercurialem in re tam euidentissima cecutisse; etenim Hyppocrates fecit mentionem delirii; nam deliria apparuerunt die sexta, die octaua delirauit multum cum dolorosis conuulsionibus, die vndecima iterum delirauit, die decimaquarta delirauit, iterum decimaseptima mutitate correpta fuit, vigesima die periit.

Ex quibus verbis clare colligitur cæpisse inflammationem ab vtero, tanquam a termino, a quo, fuisse tamen terminatam in cerebro, quoniam periit phrenitica mutitate, tamen correpta, tanquam in termino ad quem; quam doctrinam esse verissimam frequentia delirii luculentissime demostrat, atque ægritudinis terminus; ex quo enim signo colligit Mercurialis ab vtero inflammato, cõmunicata vesicæ inflammatione, inde conuulsiones in mingendo oriri? fortasse ex conuulsionibus: sed iam supra docui a cerebro inflammato habuisse fomitem, fortasse quia multam, & albam? sed hoc signum demostrat multo magis errasse Mercurialem eiusque opinionem esse falsam; etenim tunc lotia fuissent aliquo modo colore tinta, sicut aut flaua, aut rubra cõmunicata inflammatione vesicæ, vt Mercurialis habet albam, tamen, ac crassam minxit vrinam, ergo conuulsio tota pendebat ex cerebro, non autem ab vtero; negandum tamen non erat ab

vtero inflammato traxisse originem omne malum, sicut ex suppræssione mestruorum historia clare significat, & omnia fuisse terminata in cerebro, pernitiosus mulieris euentus clare demonstrat: de qualitate vrinæ iam erat turbida, cum esset vrinis iumentorum similis, vt quarto aphoris. 70. & Gal. primo de cris. cap. 12. qua propter admiranda sunt rationabiliter diuini senis verba, dum habet.

Quam ego vidi.

Nota expositionē verborum diuini senis nouam ac veram eiusq. principijs consonam.

Quasi voluisset inferre diuinus senex, lotia phreniticorum debuisse esse alba, perspicua, tenuia, quibus conditionibus fuere obseruata a se præceptore primo, quasi secum loquutus Hyppocrates lotia fuere crassa, & turbida, rem sane, & medico rationabili contrariam, suis principiis, veluti paradoxam doctrinam, propterea tanquam rem nouam, rei naturæ, eiusque principiis oppositam, dixit, propterea se vidisse, ne videretur sibi contrarius sicuti 4. aphoris. loco cit. phreniticorum vrinas esse debere perspicuas, propterea dixit (sicuti ego vidi).

Die decimatertia obmutuit.

Sed de mutitate locupletissimus videor in opere meo, de morbis puerorum, atque in historiis supra narratis.

Metho-

Methodus medendi cum auxilijs.
Cap. XXXIX.

IN enixis ea videtur esse medendi rationabilis methodus, vt omnia vergant ad opera naturæ perficienda, quæ aut 42. dierum spatio in femellarum partu terminentur omnia, aut saltim 32. dierum spatio si maris fiat parturitio, sic placuit Hyppocrati, & nos in opere, de enixis, videbimur locupletissimi scriptores; propterea opere naturæ iam impedito, & decimusquartus iam erat dies partus præteritus, prudentis medici munus erat, euocanda esse menstrua statim secando venam saphenæ pedis dextri, primo ratione febris superortæ, secundo ratione inflammationis vteri, tertio ratione doloris, quarto ratione delirii, quinto ratione febris putridæ, periodicæ; sexto ratione menstrui retenti, eoque magis in opinionem veram ducor confirmandam, quo magis possumus imaginari apparuisse in mammis lactis copiam, inde fortasse apparuere rigores; quæ omnia cum supponamus verissima esse principia, venæ saphenarum sæpissime erant secandæ; sicut arbitror diuinum fecisse Hyppocratem, pluries sumendo indicationem a supradictis, quamuis Mercurialis dixit perseuerante dolore iecoris secuisse venam iecoranam, sed errat in duobus,

primo,

primo, quoniam dolor non fuit in iecore, vt supra probaui, & quantumuis iecur fuisset inflammatum, semper tamen secandæ erant venæ saphenarum, vt alibi de morbis enixarum locupletissime docebo.

Præterea electuaria potuisset accipere aperientia diuretica, sicuti ex seminibus melonis, puluere diaradon Abbatis, aut sandalorum sine camfora; ex seminibus siseleos, & cassiæ ligneæ, ana, partes æquales cum saccaro finissimo, & aquis aperientibus, & elambiccatis, potuissent confici electauaria.

Rursus pessaria aut ex dragaganto, aut ex mercuriali, addendo parum croci, & saccari euocando foras quidquid in vtero, eiusque parte concaua reperitur, aut in venis. Duo autem sympthomata erant lenienda, in hoc grauissimo, atque lethali morbo.

Primum erat dolor vterinus, ex inflammatione ipsius vteri causatus.

Secundum sympthoma erat delirium, atque materiæ malignæ raptus in cerebrum, inde confirmata phrenitis.

Quantum ad primum dolor vteri originem trahebat a retento sanguine feruido bilioso, ergo oportet euocare huiusmodi sanguinem foras remediis supra assignatis; scientes methodum Galeni eam esse scilicet dolorem tribus modis auferri, hoc est remouentibus causam, secundo anodinis, tertio narcoticis;

coticis; ergo leniendus erat dolor cum fotibus, atque vnctionibus cum amigd. dulc. alias deinde opiatas exhibere confectiones pro dolore sedando, sicut est philonium persicum, aut trifera magna. Tertio loco iam supra determinauimus mittendum esse sanguinem pluries, supponendo causam morbi esse dependentem a sanguine, ac proinde sanguinem esse euacuandum. Illud autem memoria mandandum erat cum Galeno in commento, satis paucas esse mulieres, quibus menstrua supprimuntur, quæ ad extremum mortis deueniunt, quibus vterus non fuerit inflammatus; nam sanguis, qui effunditur per vterum, diuersa est præditus qualitate; quibusdam est biliosus, aliis melancolicus, aliis virulentus, nunquam tamen sanguis hic culpa vacat. Illud tamen secundo loco notandum erit cum Galeno in commento, in hac febre fuisse signa opposita, videlicet & caloris, & frigoris; nam aderant sitis, febris acuta, vigiliæ, delirium, porro sunt hæc omnia signa morbi calidissimi; verum sunt alia signa, quæ pertinere videntur ad causam frigidam, scilicet conuulsiones, tremores, vrinæ iumentorum, quæ omnia erant signa crudi, atque crassi.

Concludit pessimos esse morbos, & prauos, quibus succedunt febres emitriteæ (hæc sunt Galeni verba) ex quibus licet colligere febrem fuisse prauam, ac malignam, semitertianarum morem gerentem, quam docet Galenus in commento, atque

videtur

videtur innuere, & nemo ex comentatoribus significat, atque animaduertit.

Quoad secundum sympthoma pertinere videtur, primo leniendum erat sympthoma, frontis venam secando, suppositis primo loco præcessisse duobus, primo naturam, atque artem perfecisse opera vtero necessaria, atque toti corpori; secundo materiam iam fixisse radices in eodem cerebro, sicuti frequentia deliriorum demostrauit, & ex desipientia, & mutitate. Tandem die vigesima periit.

Neque præter rationem fuisset, aut gallos incisos capiti applicare, aut catulos, missione sanguinis ex fronte supposita prius, reuulsionis tamen gratia essent applicandæ hirundines in venis sedis, vt quinto aphoris. 33. Galenus, ex quo loco colligitur Galeni doctrina verissima; trahunt enim venæ ab vtero, a cerebro, denique a toto, atque enixis remedium obseruatur efficacissimum.

An autem esset huius mulieris expurgandum corpus, posset in dubium reuocari; de qua difficultate in opere de morbis enixarum, me locupletissimum poterunt legere scriptores, periit autem die vigesima, non autem vndecima, quoniam vigesimus dies est magis decretorius, quam vigesimus primus ex decreto Hyppocratis. 7. aphoris. 38. vbi docet destillationem in ventrem superiorem viginti diebus suppurari; dixit autem Galenus in comm.

vigesi-

vigesima die, non autem vigesima prima quoniam vigesimus decretorius est, non autem vigesimus primus; hæc circa declarationem historiæ: confero me ad controuersias.

Controuersia prima, vtrum computatio dierum in enixis fieri debeat a die partus, an a die febris.

Antiqua fuit in scholis controuersia, quenam esse debeat computatio dierum in enixis, an a die partus, an a die febris? quam sane quæstionem, & fusius, & latius in opere de morbis enixarum, Deo duce, disputabo; nunc vero capita rerum tangendo, prout institutum postulare videtur, breuibus rem perstringam. Conciliator in diff. 106. Valles. in controuers. decimi libri controuers. quarta, Cardanus in lib. suo primo contradictio. medicin. tract. 2. contradict. quinta Trincauellius in epistolis, & scribentes omnes Neoterici de hac re videntur locupletissimi.

Porrò tota difficultas ac controuertendi ratio dependere videtur ex variis pugnantibus locis Hyppocratis; etenim si ad lancem percurramus omnia loca, liceat seriatim omnia recensere, & in medium adducere.

Hyppocrat. 3. prognost. comm. 12. dicit esse nu-

merandos dies a die partus, non autem a die febris. Interdum initium ponit a die febris, vt in hac historia Philini, quæ die vigesima animam egit, aperte terminum morbi, eiusque principium esse inchoandum similiter in vxore Dromedeæ a die febris computauit Hyppocrates primo epidem. comment. 3. 27. sed rem cum Vallesf. cardano, & aliis Neotericis agamus.

Dicunt transcriptores, præsertim Vallesf. cum aliis, partum esse duplicem, vel naturalem, vel non naturalem; si partus fuerit non naturalis, a die partus; si autem naturalis, a die febris; quare statuit Vallesius decimo controuers. cap. quarto si partus fuerit naturalis, nunquam mulieres corripi febre, nisi ex causa aliqua procatartica, quoniam ab omnibus excrementis facile expurgantur. Quod si partus fuerit non naturalis, constat, ipsum esse præternaturalem affectum, qui secum varia symptomatum genera afferre videtur. Hæc Vallesius.

Sed errat Vallesius, quoniam supponit partum fuisse naturalem, & nunquam posse mulieres corripi febribus, nisi a causis procatarticis, quod esse falsum facili negotio licet demostrare; nam si semper corriperentur causis procatarticis, semper in ephemeras inciderent febres probatur consequentia, quoniam causæ procatarticæ non possunt imprimere

mere effectum, nisi vnius diei, dummodo tamen a parte rei non sit dispositio subiecti; quare si supponit Vallesius mulierem fuisse bene purgatam secundum leges naturæ, incidisse tamen in febres ex causis procatarticis, inferendum erit, febres necessario consequi diarias; videmus tamen consequi putridas sæpe degenerare in malignas, euidentissimum quippe signum non esse vitium, totum dependens ab externis causis, sed ab internis, neque consequentia Vallesii recipienda est; partus fuit naturalis, ergo excrementa omnia debebant ritè expurgari necessario; nam parum refert ad expurgationem excrementorum, partum fuisse naturalem; si enim excrementa vterina, vel in quanto, vel in quali peccantia, aut ratione viarum obstructarum, aut ratione facultatis expellentis, quid poterant prodesse, naturam criticasse, & expulisse fætum sub certo tempore? quapropter concludendum, parum referre partum esse naturalem secundum leges naturæ, excrementa tamen facile expurgari a natura propter rationes assignatas sed nolo disputationem hanc adeo prolixam sub paucis determinare verbis sed alibi; Deo duce, dabitur occasio fusius disserendi, quando de morbis enixarum agemus.

Nn 2 Con-

Controuersia secunda vtrum in hac affectionem fuerit hæpar phlegmone affectum?

Prima opinio est Vallesi. dicentis in hoc commento fuisse hæpar phlegmone affectum; quam opinionem suam sic confirmat; etenim cordis dolor, atque rigores, iis, qui a partu febricitant, sunt familiares, propter consensum neruorum cum vtero; capitis, atque lumborum dolores ex menstruis malè erumpentibus, factis purgationibus subdit: (sitis vehementiam febrem; atque phlegmonem sequebatur, eiusque magnitudinem) hæc habet Valles. cuius opinio non est recipienda; etenim si inflammatio esset in hæpate, tunc quam plurima signa adfuissent, scilicet vrinæ fuissent ictericæ, si abscessus parenchimati obfecisset, quod ab Hyppocrates supponitur, neque illius fit mentio, ergo non fuit hæpar affectum, atque inflammatum.

Mercurialis dubitat an sit in iecore inflammatio aliqua? cuius dubitandi occasio fuit dolor, sitis, atque acutissima febris; ergo videtur consentaneum inflammationem ad fuisse; deinde subdit Gal. 8. de composit. medicam. per loca cap. 6. non videtur fuisse vera inflammatio; nam tunc fuissent carnis colli-

colliquationes, bilis crassa, quæ purgaretur per secessum graueolens, ex quibus colligit Mercurialis fuisse in hæpate veluti phlegmonem iocinoris, seu flogosis.

Sed miror, Mercurialem cum aliis fuisse allucinatum; etenim quamuis in hipocondrio dextro perciperetur dolor, ille tamen non erat adscribendus hæpati, sed vtero male affecto.

Ad quod confirmandum ea ducor ratione demostrante; nam si fuisset, aut phlogosis, aut inflammatio vera, tunc sequeretur fuisse consequutas, & apparuisse vrinas rubras, alteratas, atque ictericas; tenues tamen erant vrinæ sine colore, quapropter impossibile esse arbitror, posse hæpar incalescere, aut inflammari, nullo in vrinis apparente signo (hæpate vrinarum existente sede) quamuis moderni fuerint somniati varia, non inuenientes coctionis primæ excrementum tenue; quam ob rem asserebant vrinam esse primæ coctionis excrementum; quam sententiam Argenterius inuenit primus, quem multi deinceps insecuti sunt, quod sputum esse arbitramur coctionis primæ excrementum tenue, contra Argenterium.

Mea tamen est opinio, vterum fuisse inflammatum, atque omnia sympthomata habuisse originem ab vtero, tanquam a parte inflammata ex menstruo retento, bilioso, totam massam sanguinariam

nariam corrumpente, vt euentus luculentissime demonstrauit, atque dolores circa regionem vterinam.

Hęc dum scribo, Discipuli omnes petunt, vt ad opus illis pluries pollicitum, scilicet, de morbis complicatis, me conferam quam primum imprimendum; Verum tam pręsens, quam futura alia omnia Deo, Beatęque Virgini Mariæ dicanda fateor, a quibus omne bonum.

FINIS.

Corrigente D. Marco Antonio Pinardo.